



**Tabvlae Navfragii, Sev Echo Concionvm Aliqvot, Qvae  
Blattarvm Inclementiam euasêre, de Festis ac Dominicis**

Qvarta Navfragii Tabvla Seu Echo Concionvm Aliqvot, Qvæ Blattarum  
inclem̄tiam euasêre, de Dominicis & Festis

**Bosquier, Philippe**

**Coloniae, 1618**

V. Dominica infra octauam Venerabilis Sacramenti, quæ est 2. post  
Pentecosten.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56172](#)

DOMINICA IN FRA OCTA-  
uam V. Sacramenti, quæ est 2. post Pen-  
tecosten anno 1614. 2. Iunij, Au-  
gusti Hanniorum apud  
Clarissas.

Thema. *Homo quidam fecit cœnam mag-  
nam, & vocauit multos. Luc. 14.*

Viator & festinans, nepti meæ chariss. sorori ve-  
stre, ac vobis omnibus gratificatus (o animæ Deo  
charæ) huc ascendi, rogatu Patris vestri.

- Dicendum er-  
go hinc hodiè  
mihi
- I.
1. Deum dici Opt. Maximum; & hic e-  
uideri, vtrumque epitheton ei con-  
uenire.  
 2. Cœna hodierni Euangeliū vnde  
magna estimanda;  
 3. Homines pessime ac proicitiissimè er-  
gà Deum se habere, A V E.

I.

*Deum dici Opt. Max. & hic euideri, vtrumque  
epitheton ei conueniri.*

Solent ferè tam Ethnici quam sacri scriptores,  
quoties Deum nominant, his epithetis seu adiun-  
ctis duobus Optimū Maximique illum ornare (Ani-  
mæ religiosissimæ &c.) aut saltem Boni Magnique.  
Sed & prima statim vox omnium hominum, vel in  
moestitia exclamantium, est, *Deus bone. Dij boni. &c.*  
Merito. *Nemo enim bonus, nisi solus Deus: nemo verè  
potes, nisi Deus ipse, aut per ipsum, & in ipso. Nemo  
potens, nemo magnus sine aliquo afflatu diuino unquam  
fuit. Cic. lib. 2. de Nat. Deorum.*

Deus

*Deus est summum Bonum, vel pueruli adhuc balbutientes in scholis audiebamus.*

*Bonum ( inquam ) suiq; causâ expetendum. Optimum, cuius causâ cætera bona sint expetenda.*

\**Optimus ille sit necesse est, ex quo, tanquam riu- li ex fonte, promanant, quæcunq; sunt bona, & ab illo habent ut talia sint.*

*Laetant.lib.3.instit.diu.c.9.Necessitatem, ut multò mirabilior sit, qui mirabilia perficit : multò melior, qui tot bona.*

\**Optimus, qui nōrit etiam de malis benè facere, & quasi oleum de petra, mella de felle ac veneno. D. Augustin. Enchiridij c.27.*

*Vt quidquid tangebat Midas, aurum siebat; ita Deo volente, omnia etiām pessima vertuntur in bonum.*

\**Optimus, qui nulla mala esse permitteret, nisi inde vellit bene facere. Idem ibid.*

*Vt sageret mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Deut.32.*

\**Optimus, qui infra culpæ meritum poenas irrogat, supra virtutis laborem coronat.*

\**Optimus, cuius bonitas & misericordia super omnia opera eius. psal.*

\**Optimus, qui dat maiora petitis, quæ nec sperare audeas, nec aspirare.*

\**Optimus, Qui doleat, quoties cogitur, esse ferox. Ge- mit & flet poenas sumpturus.*

\**Optimus, vt qui etiam in nobis sua propria dona coro- net,*

*Tamquam nostra; ferit nolentem ambire coronas. Nos aliquandò poetando.*

Magnus idem, & Maximus, imò Trismegistus ac termaximus.

*Magnus Dominus, & laudabilis nimis. psal.*

*Magnitudinis eius non est finis. psal.*

\*Mag-

\* *Magnus, non mole, sed potestate, ut ne tibi finias nescio quem fabulosum Gargantuam ( ut est in prou. ) aut Gigantem Euceladum &c.*

\* *Magnus, qui ubiq; sit, nec usquam capi possit.*

\* *Magnus, cuius centrum ubique, circumferentia nusquam.*

\* *Magnus, quem nec coeli coelorum capere possunt.*

\* *Magnus qui magna gerat, faciatque, & multo maiora, quam iam fecerit, aut umquam sit facturus, possit.*

*Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham.* Matth. 3.

\* *Pape, Quam magnus, qui tantam mundi huius machinam ex nihilo condiderit, erexerit: totam terræ molem Oceanumque in medio aere, millis basibus fulta suspenderit, nullis trochleis aut funibus adhuc sustentet, sed sic iubeat ibi pedere, ut ferè pendulae volitant bulle pueriles, quas per ludum ex calycibus nuceis, aqua & sapone plenis, trimuli conflant, & efflant, aut in ventum leuiter ejiciunt.*

\* *Maiorem tamen quidam censem, ex operum minimorum creatione, ut minimæ mulæ volantis, currentis, videntis, spirantis &c. quorum operum organa nescias ubi sint.*

*Sic ferè in maiori pretio, quā alij, is scriptor fuit, qui Iliadē tam tenuiter scripsit, ut nuce claudi posset: is faber, qui nauem omnibus partibus constantem tam paruam fabricauit, ut apiculæ alâ tegi posset.*

*Aelianus libr. i. variæ histor. c. 17. Hac sunt opera Myrmecidæ Milesii, & Callicratis Lacedæmonij, quæ propter nimiam exilitatem in admiratione habentur. Quadrigas fecerunt, quæ sub musca possent abscondi, & in sesamo distichon elegeium literis aureis inscripserunt.*

Magnitudo autem, & Bonitas Dei summa, alias quidem fæpè, sed nūnc in hodierno Euangeliō affatim ostenditur.

*Deum agnoscimus ex operibus eius.* Cicero. I. Tuscul.

\* i. *Magnitudo, in cœna magna. Homo quidam fecit cœnam magnam &c.*

\* ij. *Bonitas, in repetitâ invitatione invitatorum, suppletione, & substitutione aliorum, in recusantium, & absentium locum: Vocavit multos. Et misit seruum suum horæ cœna dicere invitatis, ut venirent &c.*

- Cœnam autē magnam vocat ferè, quā à
- |   |
|---|
| 1. Coniuicatoris amplitudines;<br>2. Coniuicarum numero;<br>3. Esculentorum poculorumque numero, pretio, mole &c.<br>4. Duratione epuli;<br>5. Ministrorum numero & excellētia.<br>6. Vultu bono Coniuicatoris. |
|---|

\* i. *Coniuicatoris amplitudine. Si is Rex, Sapiens, Bellator magnus &c.*

Nām ad coniuicium Regis aut Sapientis, &c. quis non libentissimè venerit, magis ipsius, quām epulorum, aut vinorum &c. causa?

Quidam etiā magno id mercentur, irrepturi vel irrupturi, si aliter non liceat.

Sic ex ultimis Galliarum Hispaniarumque finib⁹, ad T. Liuium lacteo eloquenti⁹ fonte manantem, ventum est, & quos ad sui contemplationem Roma non traxerat, vnius hominis fama perduxit. D. Hieronymus ep. ad Paulinum de omnibus diu. hist. librīs.

Sic Regina Saba Ierosolymam ex suo Austro venit, ut vel videret, & audiret Salomonis sapientiam, quæ

quæ est suauissimus pastus animorum. 3. Reg.

Ego sanè in felicitatibus meis numero, Deoque habeo gratiam, non tām quod Romæ genium recreui, & hilarescere potui, si volui, epulis mensæ Illustrissimi Cardinalis Cæsaris Baronij, Deus bone, quam sancti, & quam docti viri, in eius ipsius palatio; sed quod ipso Baronio usus sum conuiuatōre, in eadem mensa, præsertim mōx morituro, & quidē inuitatus antè ab eo, & ipso epuli die accersitus, anno 1607. et si merito meo sanè nullo.

Quanti Aman, apud amicos, & Zarem vxorem suam, facit, semel se & iterū Estheris Reginæ fore conuiuam.

*Regina (inquit) Esther nullum alium vocavit ad conuiuum cum Rege, præter me, apud quam etiam cras, cum Rege pransurus sum. Esther. 5.*

Cum quid datur spectabis, & dantem adspice. Senec. in Thyeste Act. 3.

Chilo noluit ante Periandrī conuiuio interesse, quam quæsisset, ac certò rescisset, qui essent reliqui conuiufuturi.

Senec. ep. 19. Antè circumspiciendum est, cum quibus edas & bibas, quam quid edas, & bibas, ait Epicurus.

Quis non malit, vel siliquis, & pane secundo, atro-que, & minutali viuere, cum illis septem Græciæ sapi-entibus, aut cum Platone, aut magno aliquo amico, quam epulari cum perduto, vel cum hoste?

Quis non ibi malit meram argentei fontis vndam, etiā ex Samio poculō, aut concava manu biberē, quam alibi ex auro merūm vel Falernum, vel Falis-cum, etiā meracissimum, & sepositum Consule Manlio? Ratione cōiuatoris magni, aut amati, sper-nantur minus chari, vina, & farcimina quoque op-tima, Et Lucanica ventre cum Falisco. Martialis lib. I.

\* 2. Conuiuarum numero. Cūm multi confluunt  
Cūm omnibus liberè ingredi licet, & alsidere: cū  
conuiuator ait:

*Porta patens esto, nulli claudaris honesto.*

*Gall. prou. Courtoouerte.*

Platonis conuiuum constat viginti conuiuis: Var-  
ronis 9.

Xenophonti placet, vt conuiuator ipse sit nonus.

*Esther. i.* Assueri conuiuum hāc nulli secundum  
fuit. *Fecit enim illud cunctis principibus, & pueris suis,*  
*fortissimis Persarum, & Medorum inclitus, & prefectis*  
*prouinciarum &c.*

*Cumque implerentur dies conuiuij, inuitauit omnem*  
*pop. qui inuentus est in Susā, a maximo usq; ad mini-*  
*num.*

Magna etiā fuerunt hoc adspectu quæ Christus  
aliquoties parauit suis Auditorib; Fuerunt enim  
hic 4. hic 5. milia.

\* 3. Esculentorum, poculentorumque numero, pre-  
cio &c.

*Vt cum tot sunt fercula, quot literæ alphabeti.*  
*Tot perdices, quot conuiuae &c.*

*Cūm piscibus & carnibus vesci licet, quam men-*  
*sam Commissariorum vocamus nostrate prouer-*  
*bio.*

*Cūm maria omnia, & viuaria, fatigantur, vt om-*  
*nis generis indē expiscationem, vna mensa comple-*  
*catur, vna horula heluetur.*

*Cūm terra, agri, & sylue omnes, venatione tur-*  
*bantur, vt cerui, hinnuli, apri &c. habeantur: &*  
*porcelli Troiani quoque proponantur.*

*Cūm per AЕrem ipsum totum ope miluorum,*  
*prædatum itur, vt phasiani, ardeæ, & omnis ge-*  
*neris*

neris aues colligantur, & omnibus cupedijs mensa oneretur.

*Interea gustus elementa per omnia quaerunt. Iuuenal.*

Gula in oculis.

Cum Auiaria, Viuaria, Leporaria, Roboraria omnia depopulantur.

Denique; cum in patina Vitellij sunt Scarorum iecinora; Phasianorum è Colchis, & Pauonum è Samijs cerebella; linguæ Phænicopterorum; Muronarum lactes à Carpathio usque fredoqué Hispania per Nauarchos ac triremes petit arum. Suet. Tranquillus in Vitellio cap. 13.

Glisceras eas coenas vocant, quæ multis ferculis opulentæ & instructæ nouis subinde crescunt epulis; Item Solis mensam.

Item; cum vina omnis generis (Gallica, Rhenana, Hispanica, Canarica, Italica, Falerna &c. nectar ferè & ambrosia Deorum propinantur.

Quæ tamen in Christianis non laudo.

Quoniam una aliqua coena emi possit arx, aue prouincia, & Castris integris tam sèpè defectu stipendijs tumultuantibus, stipendia numerari.

Quoniam Lazari multi indè multis diebus comode ali possint: Xenodochia sustentari &c. Virgines nubiles elocari &c.

Quoniam tributis fortè nouis grauanda plebecula, &c.

Cato certè aiebat, difficile eam Remp. saluam fore, ubi pisciculus pluris, quam bos, venit. Plutarch.

Et vero Homerus refert in conuiuijs Regum olim & Optimatum, nihil præter bouillam assam fuisse.

\* 4. *Durazione.* Ut cùm in multam noctem cœnæ protenduntur, cum duobus diebus nox vna adiutur, id est hesterno & crastino; cum læti conuiuū noctem verterunt in diem. *Iob.*

In noctem prandium ducitur, in diem cœna.  
Affueri Regis conuiuum toto semestri durasse legitur.

Etsi diurna illa conuiua insalubria sunt corpori, animæ vero ipso parum salutaria, natura scilicet paucis, parabilibusque contenta, & tempore ita male pereunte; & animis ad iram, Venerem, & detractionem sic incandescentibus. In chaos nescio quod omnia confunduntur, & fit ex recreacione confusio.

*Sedit populus manducare, & surrexerunt ludere.*  
*Exod.*

\* 5. *Ministrorum numero, & excellentia.*  
Ut cùm adeo multi, vt ad nutum omnium seruant, ferant, fundant, nuntient, retinunt &c. Milia milium ministabant ei &c. *Daniel.*

Et cùm ipso quoque nobiles ministrant, Ganymedes, Hebe &c. *Virg. t. Aeneid.*

*Dant famuli manibus lymphas, Cereremque canistrū  
Expediunt, tonsisque ferunt mantilia vestis.  
Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo  
Cura penum truere, & staminis adolere Penates;  
Centum aliae toridemque pares et ate ministri,  
Qui dapibus mensas onerent, & pocula ponant, conuiuo illo, quo Dido Aeneam exceptit. *Regina Saba in  
aula Salomonis miratur cum primis ordinem ministrorum. 3. Regg.**

Itaque in Græcorum conuinijs semper erant, & qui cibos partiretur arte, & vocabatur *Daitros, & Carptor,* & aliis aliquis, cui incumbebat prouidere,

dere, an omnes æqualiter biberent, & ex eodem vino, qui & vocabatur *Oenopta*.

Primus quasi cœnæ virginis violator, alter iam defloratæ pocillator, & ad iustum hilaritatem incensor.

Vnde est illud Agesilai Regis Lacedæmoniorum, quum in comportione quadam, sortibus ex more ductis, factus esset princeps coniuiij, cuius partes erant præscribere, quantum quisque biberet, responsum laudabile, ad pincernam interrogantem, quantum cuique vini deberet apponere: *Si multum, inquit, vini paratum est; dato cuique quantum poscit: si parum, cunctis ex aquo diuidito.* Quâ dexteritate misere prospexit, tam ne parata vini copia deficeret importunè eos, quibus placeret largior potatio; quamne ad bibendum cogerentur, quibus esset magis amica sobrietas: & rursus in maiore vini copia, per æ qualitatem, murmuris occasionem exclusit.

Coniuij Assueri laus ea fuit non ultima, non fuisse, qui cogeret ad bibendum. Esth.

Nemo ad pocula damnabatur.

Videtur in nuptijs factis in Cana Galilææ, talis ferè minister fuisse, qui Architriclinus dictus est: de- fectu tamen vini non satis prouidisse. *Ioan. 2.*

Etsi vera censura, ostentatio illa nimia est, à tamen multis rem unam fieri.

*Senecæ placet cibus non multorum manibus ministratus, lib. de Tranq.*

Neque ferè usquam seigniora ministeria, quam vi- bi multitudo ministrorum, alteris in alteros officia relectantibus.

\* *6. Vultu bono Coniuvatoris, qui unus pro omnibus bellarijs, & super omnia est.*

*Super omnia vultus*

*Accessere boni, nec iners pauperque voluntas, ut Quidius de senibus ac pauperibus Philemone & Baucide, cum Iouem ac Mercurium errantes casâ ac coena, ignotos tamen exceperint. Ouid lib. 8. Met am.*

*Hilarem datorem diligit vel Deus ipse quoque,*

*Ferculorum omnium gratissimum, frons hilaris  
conuiuatoris, & cor quasi ridens in patinâ.*

*Hinc illa barbarior loquutio facere bonum vultum,  
pro hilariter se habere, aut excipere.*

*Et ferunt lingua Anglorum dici bonum vultum,  
quod nos gallicè dicimus, bone chere, mutuata ab eis  
substantiua dictione.*

*Galli eleganti sane proverbio dicunt : Belle chere  
vault bien un mets) quod I. Nucerinus (opinor) Latinè  
sic reddidit:*

*Aequipar at latus lautissima fercula vultus.*

*Nucerinus lib. proverbiorum mihi pag. 19.*

*In Coena, quæ nobis à Deo parata hic dicitur, ad-  
sunt hæc omnia, & quidem longè amplissima, ut eo-  
dem ordine sum ostensurus.*

## II.

*Cœna hodierni Euangelij unde magna estimanda.  
Sed primum dicamus, quid Cœna ista significet.*

*Cœna hic      } 1. Gratia diuinæ refæctionem;  
dicit            } 2. Eucharisticam mensam;  
                  } 3. Verbi Dei prædicationem;  
                  } 4. Gloriæ aeternæ collationem.*

\* i. *Gratia diuinæ refæctionem, quæ consistit in in-  
fusione virtutum, & collatione donorum Spiritus  
Sancti, quæ animam vivificant, ac sustentant.*

*Eccle. 5. Cibabit illum pane vita & intellectus.*

*Ioan. 1. Gratia & veritas per Iesum facta est.*

*Dicitur autem cœna, quod in ultima mundi æ-  
re parata sit, non ante legem, non sub lege.*

\* ii. *Eucha-*

1. Cor. 10. Nos sumus, in quos fines saeculorum deuenierunt.

\* ij. Eucharisticam, mensam, In coena enim ultima  
instituta est.

Vnde & quae & Hæretici, & Catholici vocant Cœ-  
nam Domini.

Quam bene, cum & nomen Cœnæ, etymologia  
græca, significet communionem.

Coena ergo      } 1. Coniuicatoris summa dignitate;  
hæc Eucharisti-      } 2. Coniuuarum numero ingenti;  
ca magna,      } 3. Ciborum numero, & pretio &c.  
qua à      } 4. Duratione.  
                } 5. Ministrorum frequentia, & excel-  
                } lentia;  
                } 6. Vultu bono Coniuicatoris.

\* 1. Coniuicatoris summa dignitate, Christo scilicet,  
cuius magnitudo non est finis. psal.

Longa Regum serie ortus est quæ homo; quæ De-  
us, illi genus à Patre, & Ioue unum. Est Magnum Pa-  
tri incrementum; Dominus dominantium; Princeps Re-  
gum terræ; Le grand Signeur, quem titulum sibi Tur-  
carum Imperator usurpat, nobis proh dolor, feren-  
tibus.

\* 2. Coniuuarum numero. &c. Quot sunt baptisati,  
tot sunt communicantes, aut huc apti.

Cum discipulis meis facio Pascha.

Ila. 25. Faciet Dominus in monte hoc omnibus populis  
coniuicium pinguium &c. omnibus populis. Assuerus  
suo tantum populo parauerat.

Prou. 9. Si quis est parvulus, veniat ad me. Et inspi-  
ritibus loquuntur est sapientia: Venite comedite panem  
meum, & libite vinum; quod miscui vobis.

Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & one-  
rati estis, & ego reficiam vos.

Ioan. 6. In nouissimo die magno festiuitatis, stabat Iesus.  
& clamabat, dicens: si quis sit, veniat ad me, & libat.

Sed & Christus ipse quoque tam conuiua hic, quā  
conuiuator.

*Se cibat ipse cibus.*

Sic Dauid se suis manibus gessisse legitur.

\*3. Ciborum numero &c. Totus enim bucella ex-  
gna Deus-homo sumitur: Caro; Sanguis; Anima;  
Divinitas ipsa, Naturæ duæ, Persona vna.

*Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum.* D.Tho.  
Ioann.6. Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendit.  
Poculo uno tantumdem sumitur.

Ibid. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè  
est potus.*

Et habet in se vberius certè quam manna, omne  
*delectamentum, & omnis saporis suavitatem.* Sap.16.

Nam de manna hoc ferunt memorabile, quod bo-  
nis quidquid libebat, sapiebat, optantibus perdi-  
cem, perdicem; caponem, caponem; panem cupienti,  
panem &c.

*DEVS MEVS, ET OMNIA,* aiebat D. Franciscus  
noster.

Ifai.25. *Faciet Dominus in monte hoc omnibus populis  
conutuum pinguium, vindemiae, pinguium medullarum,  
vindemiae defecatas.*

Horat.lib.2.sermon. sat.3. *Filius AEsopi* (Tragœdias.)  
*detractam ex aure Metello;*

*Scilicet ut decies solidum exorberet, taceo*

*Diluit insignem vaccam .i. vnionem seu margari-  
tam, precij decies centii milium sestertium nummū.*

C. Cæsarem Caligulam similiter portentosissima  
ciborum genera fuisse commētum, ut pretiosissimas  
margaritas aceto liquefactas absorberet, autor est  
Suetonius.

Ferunt M. Antonium Augusti sororium, & Cleo-  
patram Reginam AEgypti, concertasse, ut alterum  
vinceret conuiuij celebritate.

Cum

Cum ergo prior conuiuum maximè opiparum instruxisset Antonius, Cleopatra suū quoque instruxit, sed tale, ut se victorē penè iam videret Antonius, nisi tandem Cleopatra vnione seu margarito ( quod vñionem Romanæ deliciæ vocauere, teste Plinio lib. 9. nat. hist. c. 35. quoniā nulli duo reperiantur indiscreti vel cantore, vel magnitudine, vel orbe, vel læuore vel pōdere, haud promptis rebus simul in gemma illa reperi) in vasculum aceto plenum immerso, ibique liquefacto, Antonianam cœnam sumptu vicisset. cēticas enim festertiū, hoc est centies centenī festertiis, quæ faciunt CCL. milia aureorum nostrorum, cœnauerat. Plinius lib. 9.

*Vt quid perditio hæc? potuit enim venundari multo, & dari pauperibus. Matth. 26. Marc. 14.*

At quid hoc ad dignitatem Eucharistiæ? Attamen ea non consumitur.

*Cibus sum gradium; crescere, & manducabis me, nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me. D. August. lib. 7. Conf. cap. 10.*

Quis conuiuator cōuiuas suos proprio pascit cruce & carne?

*Si quis humana carne pascat aut sanguine, pascit alieno.*

Et quidē sēpē in ferculis & poculis diuitiū, Mili- tum. Caulsidicoru &c. est caro & sanguis; sed pauperū.

Hic autem caro & sanguis ipsius conuiuatoris.

Denique ut suum aliquis sanguinem aut carnem alii propinet, ut Catilina &c. non tamen aliud dat quam humanum; at hic caro est & sanguis Dei incarnati.

\* 4. Duratione. Usque ad finem saeculi, & ultra, sed aliter.

*Ego vobis cum sum usque ad consummationem saeculi, in hoc sacramentali conuiuio.*

*Quoties-*

*Quotiescumque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.*  
1. Corint. II.

Quotidie celebratur in Ecclesia: quotidie aqua uis adiri mensa haec potest.

Quod frequentius, hoc melius, dum familiaritas contemptum non parat.

Sunt qui de hac mensa quoque interpretentur iudeus: *Panem nostrum quotidianum da nobis &c.*

Dimidio-tatum hebdomadis sub Anti Christo deficiet hostia.

Quinimodo, idem est, eritque in æternum pauperrimus Angelorum, & animarum iam beatarum, sed aliter.

Non cibus beatorum mutabitur, sed sumendum modus, & quasi condimentum, ut sit in cibis nonnullis, qui aliter atque aliter conditi, alii ac meliores pauperrantur.

Oculis tunc maximè gustabitur, qui nunc ore sumuntur. Ab ore in oculos transibit.

\* 5. *Ministrorum frequentia & excellentia.*

Sacerdotes enim, iisque ritè vñcti instar Regum hic ministrant, consecrando, distribuendo; imponentes eos Christus ipse.

D. Chrysost. homil. 60. ad pop. Antioch. *Quintus ipsa fecit in illa cena, idem ea nunc quoque facit. Nos ministrorum tenemus locum: qui vero sanctificata ea, & immutat, ipse est ... Non enim illam quidem Christus, banc autem homino perficit, verum & banc ipse quoque.*

*Idem. Tu Laice, cum Sacerdotem videris offerentem, ne ut sacerdotem esse putas hoc facientem, sed Christi manum inuisibiliter extensem.*

D. Ambros. lib. 4. de sacramentis c. 4. *Consecratio quibus verbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam per re-*

per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris: ubi vero venit, ut conficiatur venerabile Sacramentum, iam nō suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum.

Sed & Christus ipse aliquando priuatis amicis id porrexit, ut S. Claræ, non illi Assisiinati, sed Montifalconis, & nostri Ordinis, ut nostri annales habent.

Ferunt enim eam aliquando, post orationem extaticam, cum tempus aduenisset, quo cæteræ Religioſæ ad communionem ituræ erant, chlamyde neglecta, cum cæteris processisse. Cum vero eam Soror eius idcirco ab altaris communione prohibuisset, eaque ad orationem secretam regressa, deploraret longam dilecti sui Iesu absentiam, mox apparuisse illi Dominum Iesum, & suis manibus communionem illi porrexisse. F. Marcus ab Ulyssip. in Chronicis FF. Minorum to. 2. lib. 5. c. 41. §. 1.

Nonnullis ipsis Angeli communionem in os detulerunt, vt D. Bonau. nostro.

\* 6. *Vultu bono Coniuicatoris.* Quam letâ fronte Christum putatis primum illud dedisse, qui tunc cantauerit cum suis (id enim significat illud, Et hymno dicto:) qui alias ne risisse quidem vñquam, ſep̄ autem fleſle legitur?

Dat Deus omnibus affluent, & non improperat.

Non commemorat odiosè cuiusque ferculi, aut poculi pretium, contra morum ciuitatem. Eras. lib. de ciuit. morum.

Sed de hac coenâ fatis.

\* iij. *Verbi Dei & Euangeliū prædicatiouem.* Nam & iste est suauissimus pastus animorum.

Matth. 4. *Non in solo pane viuit homo, sed in omnē verbo,*

*verbo, quod procedit de ore Dei, seu scripto, seu prolatō, seu infuso.*

Hæc cœna, mentis est, non corporis: cœna inquā. Näm prandia & ientacula sunt dogmata philosophorum, & omnis lux humanæ rationis.

Hæc esca non ore, sed aure, oculis, ac mente hauritur, & animum non corpus impinguat, nec gravat sumpta, licet audiſſimè, & copioſiſſimè.

Cœna etiam magna est, quā à

- 1. Coniuatore ipſo;
- 2. Coniuatorum numero;
- 3. Ciborum numero, pretio, mole, &c.
- 4. Duratione;
- 5. Ministrorum frequentia & excellētia;
- 6. Vultu bono Coniuatori.

\* 1. *Coniuatore ipſo.* Christus enim ipſe eſt, & Spiritus sanctus, qui coniuium hoc parat, ora & calmos Magistrorum, Doctorum, ac Scriptorum mouendo; etiā immediate quibusdam infundendo, atque intus tacitè docendo.

Hinc illa Concionatorum Catholicorum, Oratorum, ac poetarum Ethnicorum, à Dei inuocatione, dicendi exordia &c.

*Non enim vos eſtis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquiur in vobis.* Enthei scilicet tunc eſtis.

Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, ait Paulus 1. Cor. II.

*Euangelium meum ab hominibus non accepi, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi.* Galat. I.

Pſ. 44. *Lingua mea calamus scribe velociter scribentis.*

2. Pet. 1. *Spiritu-sancto inspirati locuti sunt sancti Dī homines.*

POST PENTECOSTEN.

239

Psal. Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multâ.

Prou. Sapientia adificauit sibi domum, miscuit vinum, & posuit mensam &c.

Symbol. Apost. Qui loquutus est per prophetas.

Cic. lib. 2. de Nat. Deorum. Nemo magnus sine aliquo afflato diuino vñquam fuit.

Est Deus in nobis, agit ante calescimus illos;

Sedibus at hereis spiritus ille venit, Ouid.

\*2. Coniuinarum numero; Vocavit multos.

Ne quidem sacrorum vsu prohibiti, prohibitentur adire & audire conciones.

Math. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos.

Porta patens esto : nulli claudaris honesto. Gall.

Court ouverte.

Ioan. 6. Si quis sit, veniat ad me.

Zach. 13. Erit fons patens domui David, & habitantibus Ierusalem &c.

Est publica ista Solis mensa. Omnibus patet fons iste domus Domini, vt vt sit etiam fons signatus, ab intelligendi difficultate. Puteus altus est. Ioan. 4.

Sapientia misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis, &c. prou. 9.

Schola publica est verbi Dei, ad quam omnes vocantur & admittuntur, etiam excommunicati.

Soli isti quoque permittitur Lucere ac ferri super bonos & malos.

Nulla re magis lætantur coniuinatores & Concionatores ipsi, quam coniuinarum, id est Auditorum, frequentia.

Ostendit mihi Dominus fluum aquæ viua, splendidum tamquam crystallum, in medio plateæ Ierusalem procedentem de sede Dei & Agni. Apoc. 22.

\*3. Ciborum numero, pretio, mole, &c.

Nam

DOMINICA II.

270

Nam quibus non de rebus in sacra scriptura & cōcionibus sacrī agitur? De omni scibili & scitu dīgo, aut necessario ad salutēm.

Sunt ibi Historica vbertim, ac literalia, totius dīndē structuræ fundimenta.

Sunt Ethica seu Moralia, parua, magna, Aristotelis certiora ac sanctiora; sunt Allegorica, mythologis Poetarum, ac veterum sēculi Theologorum, diuiniora ac veriora.

Illuc magna volumina sententiarum, cumuli sensus.

D. Greg. lib. 1. hom. in Ezech.

Ibi lac modò natis infantibus aptum; ibi lac serum; ibi cibus solidus vegetorum; ibi deliciae deuotiorum, &c.

Ibi tām pretiosa, vt sine his non constet salus.

Nisi manducaueritis & hanc quoque carnem Filii Boni nis, non habebitis vitam in vobis.

Sunt quædam tanta fercula, vt ea plenè hic mente capere non possimus, qualia sunt mysterium Trinitatis in vnitate; generationis filij ex Patre sine matre; & tandem ex matre sine Patre in Incarnatione; Transubstantiationis in Eucharistia &c.

D. Ambros. lib. 4. in Luc. Quid tām altum, quam altitudinem diuinarum videre scire Dei Filium, & professionem diuinae generationis assumere, quam licet mens humana nō queat plene rationis inuestigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectitur?

Idem propè dicendum de Concionibus viua voce factis, in quas omnigena scientia studio sissimè congeritur: ad quas o mnis lectio, auditioque reducitur,

Solis mensa non ipsis ferè copiosior.

Sapè, ubi sit quod ames, inter tām multa, requiras. Quid.

Obruimur numero ferculorum, copiāq; ipsa noce. Inopes nos copia fecit.

\*4. Duratione. Usque ad finem saeculi. Huius regni ac conuiuij idem finis, qui saeculi.

Etiam sub Anti-Christo ipso, erunt Enoch & Eli-ast tota libertate Euangelium praedicantes. Ut tu pre-matur veritas, non tamen obprimetur.

Euangelij tuba nunquam conticescet. Quamdiu e-rit qui audiat, tamdiu erit qui dicat, & doceat.

Vt tacere Concionatores ipsos per metum contin-geret, ipsi lapides & saxa loquerentur : ipsi septen-nes pueri concionarentur, vt quidam olim in Ordi-ne D. Francisci : ipsi lactentes etiam intelligenter verbum Dei lallarent. (*Ex ore infantium & lactenti-um perfecisti laudem &c.*) & vel asina Balaami rudē-do erudiret.

\*5. Ministrorum frequentia, & excellentia.

Minister primus vocalis verbi Dei, quis quæso fuit, nisi ipsum Verbum æternum, Dei Patris Filius? quis scripti, quis infusi, vel intus impressi, nisi Spi-ritus Sanctus?

Deinde sequuti Apostoli 12, & septuaginta duo di-scipuli, Deus bone! quam multi, quam vocales, & quam-ti Doctores! Auditores scilicet Christi ipsius, cursu Theologiæ triennali, & amplius. Nam de prophetis nunc taceo.

Iudem interno doctore Spiritu-Sancto usi die Pen-tecostes, qui eos docuit omnem veritatem, & in cuiuslibet uno ore centum penè linguas constituit, id est, cuiuscumque sermonis egregie peritos effecit v-no momento, cum ante vix bene vernaculae loque-rentur.

Et nunc, quam multi (laus Deo) & magni in omni gente ac urbe Concionatores, sed & Scripto-res. Non fuit (opinor) à fundata Ecclesia, saeculum ullum feracius.

Iam non est dicere, ut olim, *Messis quidem mul-ta, ope-*

*ta, operarij autem pauci: iam operarij messem sup-  
rant: habent ferè singulæ spicæ falcem, aut manipu-  
li messorem suum.*

Nam tot quotidiè pullulant, ut templa ipsos non  
capiant, neque ipse mundus penè libros, qui scribu-  
tur.

Dicere potius liceat, quod tabernaculi Mosaici ar-  
tifices de eleemosynis, ad ædificationem eius collatis  
Moy si olim dixerunt: plus offert populus, quam necessa-  
rium est. Iussit ergo Moy ses præconis voce cantari: Nec  
vir, nec mulier, quidquam offerat ultra in opere San-  
ctuarij. Sicque cessatum est à muneribus offerendis,  
eo quod oblatæ sufficerent & superabundarent.

Exod. 36.

Nisi forte dicas; Operarij verò pauci, id est, ciusmo-  
di homines, qui opere ipso, &c. illustribus vita probe  
exemplis, prædicent, quod genus inter multos Locu-  
tuleios rarius est: quamuis multò est facilius exem-  
plo pascere, quam verbo; ita, conantibus scilicet vi-  
trobique pari studio. Nō enim tanti constat bene vi-  
uere, quanti bene dicere: nec pares sumptus conse-  
quendæ Sanctitatis, & Eloquentiæ.

Senec. epist. 88. Magno impedio temporum, magna  
alienarum aurium molestia laudatio hac constat: O ho-  
minem literatum, simus hoc titulo rustico contenti: O  
virum bonum.

Nihilominus locutuleij, dicaces, & dictatores, vt  
sic vocem, passim multi, operarij verò pauci.

Supersunt tamen, beneficio Dei, septem milia virorum  
& bonorum operiorum, qui nō curuerunt genus  
ante Baal, id est, bene dicentium, & probè viuentium  
satis magna vbertas, pro saceruli infelicitate.

\* 6. Vultu bono Coniuinatoris. Declarat hoc latitia  
illa ingens de reduce prodigo, id est, de Publio  
canis

tanis & peccatoribus, factis Christi auditoribus, & sequacibus. *Luc. 15.*

Declarant læti vultus discipulorum Christi, flagellatorum ob verbum Dei. *Act. 5.*

Eorum instabilitas, & perpetui toto orbē discursus. *In omnem terram exiuit sonus eorum. psal.*

In tormentis & morte, pro Euangelio, summa æquanimitas. Nostra posterorum, totis Quadragesimis & Aduentibus quotidie concionandi diligentia, ac penē importunitas.

Inter concionandi labores ac sudores, læti vultus, nonnunquam erumpentes ioci & commodi sales, quasi spiritalis gulæ irritamenta, & dormitantiū in illo conuiuio auditorū excitabula ac crepitacula.

\* *iiiij. Gloriæ aeternæ collationem.*

*Apoc. 19. Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt. Cœnam, inquit, benè optimè.*

\* *1. Vt enim cœna post laborem diurnum datur; ita coeli gloria, post sudores honorū operum & certaminum, toto huius vitæ die toleratos.*

*Psal. 103. Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam.*

\* *2. Vt cœna est ultima refectionum; ita beatitudō ultimum donorum Dei.*

*Vt post cœnam frustrā quidquam expectes, nisi forte quædam bellaria, mensas secundas, aut repotia; ita post glorificationem nihil restat, nisi gloria quædam accidentalis. Näm tūc animo cuiusque factum uberrimè. Fide, Votis, ac spebus nostris, omnia illic maiora, ac meliora.*

*Oculus non vidit &c. nec in cor hominis ascendit, quapropter Deus diligentibus se.*

*Psal. Satiabor, cum adparuerit gloria tua.*

*Psal. Torrente voluptatis potabis eos.*

*D. Augustin. initio lib. 2. Confess. Fecisti me Domine*

*mine ad te, & inquietum est cor meum, donec requiescat  
in te. Hoc demum est centrum animorum. Hic tamen  
dicitur, sufficit.*

Proclus lib. de anima & Demonibus. *Communis im-  
mutabilisq[ue] sententia, beatitudinem designat suffici-  
tia: quibus enim competit habere se bene, eisdem suffi-  
cienter habere se conuenit.*

\* 3. *Vt post coenam ferè non redditur ad laborem, sic  
nec à gloria illa, ad certamen ac luctum.*

Apoc. 14. *Amodò iam dicit spiritus, vt requiescat a la-  
boribus suis.*

Rom. 6. *Christus resurgens ex mortuis, iam non mori-  
tur, mors illi ultra non dominabitur.*

Isai. 58. *Requiem tibi dabit Dominus Deus tuus sem-  
per.*

Hercules qui uis cùm cœlo illatus est, tunc cessat  
ab immensis suis laboribus, à monstribus domandis &c.

*Properet malum quodcumq[ue], dum terra Herculem  
Habet, videtq[ue]. Senec. in Herc. Oetæo Act. I.*

*Cœna verò*      *1. Coniuatore.*  
*quoque magna*      *2. Coniuariorum numero;*  
*ista est, imò om-*      *3. Ciborum numero, pretio, mole &c.*  
*nium maxima,*      *4. Duratione;*  
*rursus quā à*      *5. Ministeriorum frequentia & exal-  
lentia;*  
*5. Vultu bono coniuatoris.*

\* 4. *Coniuatore.* Deus enim est Trinus & unus,  
qui nos excipit, & perpetuo tunc suos commensales  
facit, medius ipse sedens, & omnibus quasi mini-  
strans.

\* 2. *Coniuariorum numero.* Angeli enim omnes ibi,  
ibi homines ex omni natione, quæ sub Cœlo est, & om-  
nis æui aut sæculi, ab orbe condito.

*Cœna ista maximè Catholica & Vniuersalis, vii  
& Ecclesia.*

Math.

Matth.8. Multi vident ab Oriente, & Occidente, &  
recumbent. &c.

Apoc.7. Vidi turbam magnam, quam dinumerare ne-  
mo poterat, ex omni tribu, & lingua, & populo, & na-  
tione.

Ibi Ex omni gente cogniti.

Gracis, Latinis, Barbaris. Arca Noe, sed iam quieta  
& in portu, plena omnis generis rationalium ani-  
mantum.

Ibi erunt amici, & meliores, & plures quam hic: i-  
nodo qui nunc hostes fuerant penè irreconciliabiles,  
illuc erunt amicissimi.

Habitabit lupus cum agno &c. Isai.

Plato Socratem sic de his loquentem inducit: E-  
quidem nisi me migraturum putarem, primum quidem  
ad Deos alios Sapientes & Bonos; deinde, homines ad  
defunctos, his, qui hic sunt, meliores; iniusta agerent, non  
moleste ferens mortem.

Nunc certum habetote, sperare me ad bonos viros  
iturum. &c.

Propterea haud similiter mortem molestè fero, sed  
bono animo sum. Plato in Phædone.

A Elianni lib.13, de var. hist. c.20. Ciuis Megapolita  
ex Arcadia, Cercidas nomine, moriens, dixit familiari-  
bus suis, se non agrè mortem obire. Sperare enim se, con-  
uenturum ex Philosophis, Pythagoram; ex Historicis, He-  
cataeum; ex Musicis, Olympum; ex Poetis, Homerum; &  
bac effatus, ut fama est, vitam amisit.

Ibi, præter Patrem ipsum coniuatorem, & Spir-  
itum sanctum, & Christum Hominem-Deum vide-  
bimus, ibi Virginem, eius matrem, os humerosque  
Dea similem; ibi Heroes illos magnos, veteris nouæ-  
que legis, ibi ex Eremitis, Elias, Baptistas, Antonios;  
ibi ex Musicis, Dauides; ibi ex Philosophis nostris,  
Dionysios Areopagitas, Iustinos Martyres; ibi ex Hi-

istoricis sacris, Moyses, Esdras, quatuor Euangelistas; Cæsares Baronios; ex Oratoribus Christianis, Basilios, Nazianzenos, Chrysostomos &c. quorum plerosque videre in vitâ hâc tâm audie multi optârunt, & vidisse, aut alloqui potuisse, multi gloriati sunt.

Superiùs dixi, ex Gallia olim Hispaniaque ventu esse Romam, solius Liuij videndi studio. D. Hierony. epistola ad Paulinum de omnibus du. his libb.

Minorita quidam, Theologus sanè magnus, & Græcè doctus, Theologali (vt vocant) beneficio in Galliâ ornatus, Bethuniensis, Prou. S. Andreæ, Prouinciae doctorum virorum sanè feracissimæ, mihi pene puerò & in Ordine tyroni dixit, fortè mihi comes viæ factus, se his Romam adisse, semel negotijs urgentibus; iterum, solo studio videndi audiendiisque è suggestu R.P.F. Francisci Panigarola Franciscam, Ep. Astenf., Deus bone, quam viri. tanti, vt Italus quidam & ipse Minorita Panormitanus, & ad miraculum usque eloquens, Bruxellis aliquandiū concionatus, miro nobilium plausu, de Panigarola illo mecum aliquando loquens, vehementi voce & gestu vtens exclamat, totidem (si bene recordor) verbis; mai ne sera, id est, talis Concionator nunquam neque fuit, neque vñquam est futurus, qualis Panigarola fuit: Rex suggesti, vt Cicero fori, Roscius theatri.

Eiusmodi, Eiusmodi erunt ibi conuiuæ, magni, docti, diserti, mera luxuriantis Naturæ miracula.

(Animulæ meæ, & Virgines charissimæ) ibi aderunt vobis conuiuæ desideratissimæ, Dux vestra S. Clara; ibi eius soror S. Agna; ibi & altera S. Clara à monte Falcone, & ipsa Ordinis Diuī Francisci; ibi Catharinæ illæ Alexandrinæ olim doctis.

doctissimæ philosophorum 50. victrices; ibi Barbaræ  
vnimè barbaræ, imò urbanissimæ &c.

Ibi dulcis Iesus vester nosterque, *Septus choreis*  
*virginum*. D. Ambros. hymno de Virg.

In medio iuvenularum tympanistriarum. psal.

Te, te, bone Iesu, Quocumque pergis, virgines, & om-  
nes peccatorum adulterijs incorrupti, sequuntur. D.  
Ambros. sup.

Ergò vel conuiuarum ipsorum gratia, ipsum con-  
uiuum sit maximè experendum, & ambiendum.

D. Gregor. homil. 37. in Euang. Quæ lingua dicere,  
vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ ciuitatis  
quanta sint gaudia; Angelorum choris interessere, cum be-  
atisimis spiritibus gloria Conditoris afflere, presentem  
Dei vultum cernere.

Vt lucundus comes in viâ pro vehiculo est; ita in-  
mensa idem pro ferculo suauissimo.

Non nullos videoas cibi potusque obliuisci, pastos,  
solis amici optati adspectu, cōgressu, confessu, collo-  
quio &c.

Expleri mentem nequit, ardescit quæ tuendo

Phœnissa (Dido) & puer (Iulo) pariter, donisque  
mouetur;

hæc oculis, hæc pectore toto

Hæret, & interdum grenio fouet. Virgil. I. AE-  
neid.

Non erunt hi conuiuæ, aut post, aut inter pocula,  
litigiosi, non mordaces, non percussores, non rapto-  
res, non homicidae &c. vt plerique, nunc & olim.

Nec Centauræos Lapithas conuelliit in enses, hæc cæ-  
na. Virgil. in Culice.

Nam ferunt Centauros benè potos interturbasse  
Pirithoi & Hippodames nuptias, quibus intererant.

Nam tibi saeorum sauisime Centaurorum

Euryte, quām vino peclus, tām virgine visa  
 Ardet, & ebrietas geminata libidine regnat.  
 Protinus eversa turbant coniuia mense,  
 Raptaturque comis per vim noua nupta prehens,  
 Eurytus Hippodamen, alij quam quisque probbat,  
 Aut poterat, rapiunt; captaque erat urbis imago.

Quid. lib. 12. Metam.

Lætitiae ac Pacis altissimæ erit hoc coquinum.  
 \* 3. Ciborum numero, pretio &c. Beatus enim est  
 status omnium bonorum aggregatione perfectus.

Boetius.

Ecquis verò illuc cibus? Idem qui in coena Eucha-  
 ristica; idem inquam, non aliis, sed aliter datus, a-  
 literque sumitus.

Nūnc nobis infertur inter duas Lances ( ut sic lo-  
 quar ) coopertus. Verè tu es Deus absconditus, inter  
 accidentia Sacramenti; aut ut pannis inuolutus, mul-  
 tò magis, quām cùm esses in ipso præsepio. Ibi enim  
 latebat sola Diuinitas, in Eucharistia verò late simul  
 & Humanitas.

At in coena ista beatitudinis, idem proponetur  
 discoopertus, & videndus, qualis quantusque est:  
 velamen à facie auferetur: velum scindetur à summo  
 usque deorsum.

Videbimus eum facie ad faciem, sicuti est.

Idem ergo erit, sed aliter datus.

Hinc illud: Pannis Angelicus

Fit panis hominum. D. Thom. in Hymno.

Et illud: Panem Angelorum manducavit homo.

Sed aliter quoque sumitus; Nām nūnc in altari ore  
 percipitur; at in Coena Celi, oculis atque intellectu,  
 quomodo nūnc Angeli pascuntur.

Matth. 18. Angeli eorum semper vident faciem Pa-  
 tris.

Tobias 12. Vox Raphaelis: Videbar quidem vobiscum  
 mandau-

manducare & bibere: sed ego cibo inuisibili, & potu, qui  
ab hominibus videri non potest, vtor. Notum est, paſ-  
cere capi pro delectare metaphorice: vndē illud Vir-  
gilij i. Aeneid. oculos piclurā pascit inani, sed gratā  
illā, quā ab arte, quā à colorum varietate, bonita-  
te; quā ab historiæ repræsentatione.

Cic. 4. ad Attic. 6. Ego hic paſcor Bibliothecā Faſti.  
Paſcemur illic visione Dei, & Christi.

Cibus illius coenæ erit, pastus animorum & cor-  
dium, Intellectus sc. & Voluntatis summa quies, &  
votorum omnium finis.

Visio Dei, tota merces. Aug.

Pascet tunc { 1. Cognitio Veri, Intellectum;  
2. Apprehensio Summi Boni, & arcta  
cum ipso coniunctio, Voluntatē.

\* 1. Cognitio Veri, clara visio Diuinitatis.

Lactant. lib. i. diuini. inst. cap. 1. Nullus suauior a-  
nimō cibus est, quam cognitio veritatis.

Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis, aie-  
bat S. Philippus.

Pſal. 79. Ostende nob̄ faciem tuam, & salui erimus.

Non potest non esse iucundissimum, summam  
scientiam summi boni adipisci, quandoquidem om-  
nes homines naturā scire desiderant. Arist. i. Meta. ca. i.

Adeptæ rei tanta est voluptas, quantum est eius a-  
dipiscēde desideriū. Sed anima nil tā desiderat, quam  
veritatem. Aug. Ergo illic ea adeptā, Voluptas sūma.

i. Ioan. 3. Videbimus eum, sicuti est.

i. Cor. 13. Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum.

Lumine enim glorię adiutus humanus intellectus,  
Dei videbit essentiam, & in ipso, vti in speculo libe-  
ro ac voluntario, omnia, quæ facient ad eius beatitu-  
dinem amplificandam.

Pſal. 35. In lumine tuo videbimus lumen.

Pſal. 47. Sicut audiuius, sic vidimus in ciuitate

*Domi*nī virtutum, in ciuitate Dei nostri.

D. Greg. *Quid est quod nesciant, qui videntem omnia videm?*

Ut cum speculum mihi opponitur, primū ipsū video, deinde me in ipso, & alios & alia, etiā qui à tergo meo me subsannant: sic qui Deo fruuntur in Cœlo, primū ipsum vident atque intelligunt: deinde in illo quasi speculo seipso, & cœtera omnia, adeò ut vetula maximè idiota, illic plura & certius sciat sola, quam simul centum Doctores Sorbonici.

*Modicum, & videbimus eum; ubi iam nihil rogenus, nihil interrogemus, quia nihil desiderandum remanebit, nihil querendum latebit.* D. August. tract. 10. in Ioann. sub fine.

*Nullum latebit bonum, nullum aderit malum.* D. Aug.  
*Ibi Magistrum semel vidisse, omnia didicisse est.* D. Bernard.

*Nosse nostrum non habebit errorem.* D. Aug.

*Ierem. 31. Non docebit vltra vir proximum, & vit fratrem suum, dicens, Cognosce Dominum.* Omnes enim cognoscunt me à minimo usque ad maximum.

Nec erunt tunc opiniones de rebus, cum metu contrarij, sed certissima scientia. Quæ Fidei nunc sunt, erant experientiæ, visionis, comprehensiois. Pyrronica illuc nulla; id est, non incerta semper, consideratio, nihil decernens, sed in querendo sepe occupata, ac ne videre quidem planè quidquam, neque se audire putans, veritatem comprehendendi non posse arbitrata, semper & de quauis re ambigens, nihil certò aut seriò adserens, qualis schola Pyrrhonis Philosophi Elidensis fuit; non ita; sed remotâ omni dubitatione, summa omnium certas erit.

Non illic erit qui dicat: *Vnum scio, quod nihil scio,*  
*vt solebat Socrates, nullus potius erit, qui non dicat:*  
*Omnia scio, omnia possum, in eo qui me illuminat, & con-*  
*fortat.*

\* 2. *Adprehensio Boni summi, id est, Dei, & voluntatis*  
*cum ipso coniunctio adeo arcta, ut sit futurus Deus*  
*in animæ essentiâ, ex quo tantam capient homines*  
*voluptatem, vt quasi alueo suo excedens, sit ad corpus*  
*redundatura.*

*Psal. 35. Torrente voluptatis tua potabis eos, torrente,* inquit, *non durationem eius adspectans, cum tor-*  
*rens sit ad tempus tantum, sed abundantiam. Non esu-*  
*rire, non sitiare, non praestat nisi iste cibus & potus. . . id*  
*est societas ipsa sanctorum, ubi pax erit, & unitas plena*  
*atque perfecta. D. Aug. tract. 26. in Ioan.*

\* 4. *Duratio. Quid æternitate diuturnius? At coe-*  
*na ista aeterna futura est.*

Is verè status dicendus est, si quis alius, quoniam  
 eadem semper vita; nunquam se ipsa deterior, potius  
 melior, quod Gloria accidentalis aliqua semper au-  
 ctarij vice accedere poterit.

Status inquam ille est; noster vero qui hic dicitur,  
 non status, sed merus motus est.

Iob. *Homo nunquam in eodem statu permanet.*

*Deficit, aut variat, ut heteroclita vox, vel abun-*  
*dat.*

Ita rem illic se habere prorsus est necessarium, si  
 beatitudo illic constituenda est.

*Beatitudinem enim definit Boetius statum*  
*bonorum omnium aggregatione perfectum. Boet. pro-*  
*sa 2. li. 3. de consol. Statum, inquit, notans firmitatem,*  
*tenoremque.*

*Omnium rerum optandarum plenitudinem. August.*  
*lib. 5. ciuit. c. I.*

At quis

At quis status, si motus, & transitus aut reditus ad  
deteriora esset?

Quomodo constaret aggregatione omni honorū,  
si securitas semper sic standi decesset?

Quomodo abesset indolentia & omne malum, si  
qua deteriorum esset formido, aut suspicio?

6\*. *Vultu bono Coniuratoris.* Initio est dictum  
*Venite benedicti Patris mei &c.* Matth. 25.

*Psal. 15. Adimplebis me letitiā, cum vultu tuo.*

*Psal. 20. Letificabis eum in gāudio cum vultu tuo.*

*Ingenium vultu stat quē cadit quē tuo.* Ovidius lib.  
1. F. 1st.

O Deum verè Optimum Max.

Et: *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocatis sunt.*  
Apocal. 19.

### III.

*Homines pessimè ac proiectissimè erga Deum  
se habere..*

Et hæc quidem Dei erga homines bonitas, ac mag-  
nificentia. Hominum verò, id est, vilissimorum fer-  
uorum, tanta in tantum talesque Dominum, pro-  
dolor, inurbanitas hic ostēditur, vt invitatorum ne-  
mo ad cœnam illam tantam venire voluerit, sed  
quisque excusationibus caluis usus est. hic Villam emis-  
iste, Iuga boum emi quinque; ille, yxare em duxi &c.

De quibus singulis quia dicere nunc non vacat, de  
primo dumtaxat videamus Corydone, & homine  
planè rustico, incivili, & digno certè, qui Villam quā  
emit, ipius colat, & ad stiuam eat.

*Pallas, quas condidit, arces;*

*Ipsa colat.*

Peccata

Peccauit ille profectò in multis: {

- 1. *Electione erronea;*
- 2. *Emtione impedimenti;*
- 3. *Deceptione sui;*
- 4. *Neglectus sui;*
- 5. *Ordinis peruersione;*
- 6. *Vanitate. In uno facinore quam multa delicta.*

*Quæ omnia, solerter consideranti apparent, verbis excusationis eius comprehensa: dicit enim: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam. Rogo te, habe me excusatum. Luc. 14.*

\* 1. *Electione erronea.* Rem enim paruam & vilem, maxima & nobilissimæ prætulit, cùm haberet utriusque optionem.

Verè dicitur: *Est qui eligat, quod est deterius.*

*Itam mundi villam exiguum, contemptim ita dicam, regno amplissimo Cœlorum prætulit.*

*Quid enim vastus iste licet (yt putatur) orbis, aliud est, comparatus Cœlo beatorum, quam villula, imò punctum?*

*Certè punctum vocant mathematici totam terrā. Et iudicio Astrologorum, stella quamlibet parva, maior est tota terrā.*

*Cic. in somnio Scipionis. Stellarum globi terra magnitudinem facile vincebait.*  
*Senec. præfat. lib. nat. quæst. Punctum est hoc totū, in quo nauigatur, bellatur, & regna disponuntur.*

*Singulæ autem stellæ, quid nisi aurea quædam pūcta toto coeli capete diffusa? aut aurei quidam clavi, ingens illud tabulatum non tam compingentes, quam ornantes; aut foramina studiosè facta, quibus quasi rimis, magnâ illam coeli Empyrei lucem mortales peruideant, & appetant?*

*Et stellarum quam infinitus est numerus. Ergo valde exiguum oportet esse terram toti Cœlo comparatam:*

ram: Cœlum verò vultissimum, quod corpora tam multa, tam immania, maiora toto terrarum orbe cōtineat.

Cic. in somnio Scipionis. *Ipsa terra ita mihi parva visa est, ut me Imperij nostri, quo quasi punctum eius adtingimus, pœnit eret.*

Ex alto si totum orbem terræ despiciant vel Crafus ille diues Romanus, vel ipse Alcibiades Atheniensis, nec iste agros suos quamlibet latos, nec ille suos, latiores licet, quam milius vnius diei volatu posset percirrere, & ex quibus exercitum alere in promptu esset, facile agnoscant; ita nihil essent, tanto totius mundi campo comparati.

Neque valde magni eum facit Christus ipse, qui eum tamen condidit, sed neque Philosophi ipsi paulè seueriores.

Christus certè toti mundo vel animulam vnam docet præferendam.

Matth. 16. *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò sua detrimentum patiatur?*

Philosophi sanctiores affirmant, aurum omne, quod super ac subter terram est, nondum satis esse iustum præmium virtutis cuiuscumque: nec par eius operæ precium.

*Virtus omnibus rebus anteit.* Plaut. in Amphit. Et microcosmum, id est, vnum hominem artificio putant magno huic vniuerso anteire, propter tantam epitomen, & tot rerum contractionem, & qualitate clausam Iliadem.

Item, vel muscam viuentem, tota hac machina nobiliorem.

Sapientes quidam, in quibus Statilius quidam fuit, Bruto in Cœlarem coniuranti dixere, ne orbem quidem tanti esse, ut homini, eius causa, sint molestiae adeundæ.

Deinde; vt dumtaxat punctū sit orbis iste; tamē nemohactenus adeò potens inuentus est, vt vnuſ ac folidustotius puncti huius dominus effet: imò vix ymquām, qui dimidium possederit, si tamē atomus iste diuidi, aut punctum possit.

Quid ergo possidet vulgus dinitum?

Quid homines mediocris fortunæ? Et quantula est villævnius possessio? Puncti angulus, aut propè nihil.

Ergo praus ac demens elector iste, qui villulam (atque etiam si totum mundum) cœli possessioni prætulerit. Dij tales, & tam cæcos, ab Imperijs septemviratu, Electores arcete longissimè: arcete à ferendis, in cuiusvis electione, suffragijs &c.

Macrobus lib. 2. de somnio Scip. Ideo terra & breuitas tam diligenter asseritur, vt paruipendulum ambientum fama vir fortis intelligat.

An enim quidquam latum potest esse aut longum, quod non punctum ipsum est, sed tantilla pars puncti?

O paruas amplitudines nostras, o angustos cuiuslibet gloriæ & possessionis terminos, si quis Coeli regno comparet.

Profectò; si dumtaxat villa est, mundus hic totus, quantus quatus est, cum idem in tot dominia ac partes seclusus sit, ferè nihil eius villæ habere dici possut, etiam ditissimi quique.

Ità spectantibus, tam est locuples Rex quilibet, etiam Galliæ aut Hispaniæ, quam qui Gallinarium aut columbarium Parisijs, Romæ, aut in magna Babylonie, aut Cäyro possideret.

Certè rei, etiam cum integra est, tam angustæ partes, in quas tam multas eam secari necesse est, magnæ esse non posunt; vix atomi nomen pars villa neretur, non ferè vel ipsum Turcarū omne dominiū.

Vix Priamustanti, totaque Troia fuit. Ouid. ep. Heroid.

Et tamen, bone Deus. vt nos miselli, & proh de-  
mentiam, atomelli possesiunculam ambius. vt  
indè superbimus, cum obtainemus. semideos noscre-  
dimus, & credi volumus.

Tutibi liber homo, & Regis coniuua videris. Iuuenal.

\* Villam ergo emi (inquit) id est, rem nihil pro-  
ximam prætuli Cœlo ipsi, tam multorum licet mun-  
dorum capaci, si tam magnæ sunt stellæ quam dixi-  
mus: vel clarius:

Malui in profundis Inferni coniuua Damonis esse,  
pretio ac symbolo ingenti collato, quam Dei Opt. Max.  
gratis, ac sine symbolo. Proverb. 9.

\* 2. Emtione impedimenti: At nemo sapiens non  
libenter se impedimentis expedit, maxime ipsi, qui  
curam & salutem animæ remorantur.

An non & vulgo pretium damus, vt impedimenta  
nostra gestentur, vel auferantur, vel vt negotia no-  
stra gerantur?

Quis non libenter viuit in otio, quamlibet appre-  
tens sit imperiorum & honorum maximè negotio-  
rum? Curiones esse, & in Curijs versari velimus  
plerique, sed sine curis; & honores, sed sine oneribus,  
gerere.

Philosophi nonnulli, vt omnibus expediti, magno  
& sancto otio, in inquisitione veri toti versarentur,  
opes magnas abiecerunt.

Lactat. lib. I. instit. diuin. c. I. Magno & excellenti in-  
genio viri, cum se doctrinæ penitus dedidissent; quidquid  
laboris poterat impendi, contemptis omnibus & priuatis  
& publicis actionibus, ad inquirendæ veritatis studiis  
contulerūt, existimantes, multò esse præclarius, humana-  
rum, diuinarumque rerum inuestigare, ac scire ratione,  
qua struendis opibus, aut cumuladiis honoribus inhære-  
Crates

Crates, opum ipse suarum impedimenta, animo  
fanè excelsissimò ac inimitabili, mersit in mare.

Democritus, bona orbis parte peragrata, in patri-  
am reuersus, cum summa inopia, in hortulo, iuxta  
suæ vrbis muros, se, ad solas rerum naturas contem-  
plandas, contulit.

Carolus V. æternæ memoriæ Imp. imperii impe-  
dimentis abdicatis, in monasterium secessit, vni Deo,  
vacaturus.

Hic autem rusticus Corydon non solùm impedi-  
menta, imò impedimentorum fontem vberrimum,  
sibi accersuit; sed etiàm emit. *Villam emi*, ait. *Suo sibi*  
*iumento malum*, ait prou. *Solicitudinum ipse suarum*,  
ac fortunæ suæ faber fuit. prou.

Nam (quæso) quid impeditius villa & vicilia,  
quos vulgo à labore, perpetuo illo atque indefesso,  
totis quatuor anni tempestatibus, merito *VVall*o-  
nicè vocamus *laboratores*? Quanti enim agricola,  
tanti & ager eius, id est, pro laboris ac diligentiae e-  
ius modo, fæcundus est. Gall. *Tant vault l'homme,*  
*tant vault sa terre. Sit piger villicus;*

*Nil nisi eum spinis gramen habebit ager.*

\* *Villam cmi* (inquit:) id est, emi perenne *laborū*  
seminarium, cum gratis in otio verfari possem.

*O tacas hominum mentes.*

\* *Villam emi*, id est, belli materiam. Proverbio no-  
strate dicitur (*qui terre a guerre a*, id est, qui agro  
habet, bella & lites habet. *Dos est agraria, lites.*

*Semper habet lites, alternaque iurgia campus.*

\* *Villam emi*, seu Dominium aliquod, ius agri,  
& in homines dominatum atque imperium, id est,  
magni materiem mali, & segetem curarum pericu-  
lofissimarum, infinitarum, atque intolerandarum,  
stamen villa egregiè procurabitur. *O rusticum &*

paganum hominem, ô stultum Corydonem.

\* Emi autem, quām benē dixit, quām moribus huius aëui congruenter. Nām ferē nūnc pretio, & pre-  
cibūs illo carioribus, plerique dominatus & magi-  
stratus comparantur, profani, & sacri fortasē non  
nunquām.

Fortè etiā nūtic sit reperire Simonem Magum,  
qui dicat præsente pecunia : Date & mihi hanc po-  
testatē &c. faxit Deus Opt. Max. vt & Petrus ille ge-  
nerosè respondeat : Pecunia tua tecūm sit in perditio-  
nen. Act.8.

In pretio pretium nūnc est. Dat Censūs honores.

Adsit scala aurea, clavis aurea, & numerus ( vt  
vocant ) aureus; facile nūnc fuerit etiam indigno ad  
summa cōscendere.

Adsit pretium, fies de Rhetore Consul : ex hecerno  
Bubulco, Eques hodiernus, homo nouus, vt dicitur  
Hispanorum proverbio : ( Ayer vaquero, oy caualle-  
ro. )

Plerorumque electiones, non electiones dixeris,  
sed meras auctiones, sed nundinationes, sed capo-  
nationes.

Licitatores, emptores, ac mercatores suffragiorū  
dicas non nullos plerisque locis conuenire.

Iudaizatur, & tantum non dicitur : Quid vultū-  
bi dare, & ego eum vobis tradam?

Vendi si posset vni totius Orbis possessio, credo,  
emptorem inueniret, voto saltem & auiditate.

\* Villam emi. Emi (inquit) non dono accepi, mili-  
tiæ, studiorum, operæ iustæ iustum honorarium.

\* Emi (inquit) non hæres ex asse adij; vt iustum pa-  
trimonium. Emi oportuit.

\* Emi. Olim tempus fuit, quum Villis inemptis,  
& rude egregij viri, fortes emeriti que milites dona-  
rentur, quum honores & Imperia meritis tribue-  
ren;

tentur &c. illud scilicet, quo verum erat dicere:  
Emitur virtute potestas. *Lucanus,*

*Virtute, non auctoribus.* *Plautus.*

Nunc ferè pretio, Villæ, Vrbes, Dominatus, Præfecturæ, Præturæ comparandæ. Probitas laudatur, & alget. Generoso milite vti, vincere; & scire volunt omnes: mercedem soluere nemo.

Nundinaria ergo propè ominia, & Mercatores nunc pñne omnes Honorum, Magistratum, & proh dolor illi ipsi quoque fortassis, quos minimè oportebat: & earum sèpè Villarum, quæ à nemine vendi, aut subhastari, à nemine emi, gratis tantum & meritis dari possunt, & quidem iudicio summo.

Illud Christi ad Pilatum: *Propterea qui me tradidisti, manus peccatum habet; magnum planè continent sacramentum, huc quoque pertinens.*

De pretio autem quid dicam? quo, quali, aug  
quanto Villam suam emunt nonnulli.

Auro quidam; quidam obsequijs, sed sèpè nihil  
differentibus à lenocinijs, homicidijs &c.

*Nulli gestanda dabantur*

*Signa ducis, nisi qui scelerum iam fecerat ysum.* *Lu-*  
*canus.*

Agrippina Neronis mater puellaribus annis stuprum  
cum Lepido spe dominationis admisit, pari cupidine usq;  
ad libita Pallantis prouoluta. *Tacit. lib. 14. Annal.*  
c. I.

Sceleribus sèpè maximis, Venenis, Vi, Fraudibus,  
Parricidijs &c. animæ pretio ac dispendio emunt  
nonnulli villas suas. hic possedit agrum de mercede ini-  
quitatis. *A Et. I.*

Vox Iulij Cæsaris quondam hæc fuit: *Si violandum*  
*est ius; regnandi gratia*

*Violandum est: alijs rebus pietatem colas.* *Cic. lib. 3.*  
*Off. ex Euripide in Phænissis.*

An non animæ suæ pretio, & scelere maximo, emere villam voluit Absalom, cùm ut regnaret, patremque regno disturbaret, cœpit populo ancillari, & solicitare corda virorum? Reg.

Ah, Filius ante diem patrios inquirit in annos, Quid, lib. i. metam.

An non animæ pretio Athalia, necans omne semé regium? Regg.

An non animæ pretio Abimelech spurius filius Ierobaal (post mortem Gedeonis) cùm 70. viros fratres suos legitos trucidauit, excepto minimo, qui absconditus est, studio Sichimitis dominandi? Iud. 9.

An non Amulius, ille & qui contemptor, Rex Alloborum, quum ipse natu minor Numitorem fratre, imperio pepulit, filiumque eius Lausum necauit, filiam vero Iliam fecit Vestæ Sacerdotem, ut spem sobolis auferret? Liuius lib. i. ab urbe condita.

*Robert. Gaguinus in Compend. gestorum Franciarum lib. c. penultimo in Childeberto.* An non & Childebertus Clodouæi primi filius, qui duos nepotes suos orphanos Clodomÿri filios, quos Regina mater Clotildis educabat, iussos per fraudem ad se venire, gladio interfici coram se iussit, manu Clotarij fratis, alterum punctum, alterum cæsim, metuens ne regno alerentur?

An non & Romulus, ut villæ nouæ, id est, Romæ suæ nascentis solus dominaretur, creditur Remum fratrem occidisse?

*Fraterno primi maduerunt sanguine primi. Lucan.* O cæcas hominum mentes, Animam vendere, perdere, vnius villæ, & dominatus exigui ac brevis studio.

*Quid prodest homini si lucretur vniuersum mundum, anima vero sua detrimentum patiatur? Matth. 16.* Villam enim his artibus, his sceleribus, his ministérijs

rūs, his parricidijs. *Emi*, agens indigna, ferensque.

Honestiores non paulò illi, qui iusto pretio dato dicere possunt; *villam emi*; Nām etsi etiām valdē pudendum erubescendumque est, sic hominibus præfici; non tamen adeò scelerosum. Proh, scelus, malis artibus, inquisimis ministerijs, magisteria illa, & magistratus adipisci, quibus incumbit artes illas & ministeria vindicare. Sic postea gerunt illa, ut parārunt scilicet.

Honestiores quoque, qui modestè *Villam* quam habent, à se fatentur emptam, quam qui virtute sua partam vanissimè mentiuntur, non emptam; non majorum virtute quæsitam, & relictam; non amicorum suffragijs conciliatam &c. id est, se quod sunt, meritis dumtaxat suis esse falsò glorianter. Fatebatur, qui Iunonem sic affabatur.

*Tu mibi quodcumque hoc regni est, tu sceptrā Iouē-*

*qué Concilias, tu das epulis accumbere Diuūm,  
Nimborumque facis, tempestatumq; potentem. Virg.  
I. Aeneid.*

Mirum profectò, audere quosdam emere *Villam* aliquam, id est, Dignitatem, ac Dominatum publicè, nullo pudore; velle autem videri dicique, virtute obtinuisse.

Pulcherrimum verò ob virtutem, villa aut rude à Principe aut Repub. donatum fuisse, nec non de iusto hoste tulisse, victo, certamine serio, aut ludicro &c.

*Genes. 48. Ait Iacob ad Ioseph filium suum, iam  
iam moriturus: Do tibi partem ynam extra fratres  
tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu  
meo.*

*Villam emi*, inquit, non rapui, aut per calumniam

extorsi, ut quondam Achab vineam Naboth.

Ciceroni aliquid tale obijcere videtur Sallustius, cùm ait. Sed, vt opinor, illate magis extollunt, quæ post Consulatum cum Terentiâ vxore de Repub. consuluisti, cùm legis Planciæ iudicia domi faciebas, ex coniuratis alios morte, alios pecuniâ condemnabas, cum tibi alius Tusculanum, alius Pompeianam villam ædificabat, alius domum emebat: qui verò nihil poterat, is erat calumniæ proximus: is aut domum tuam oppugnatum venerat, aut insidias Senati fecerat; denique de eo tibi compertum erat. Quæ si tibi falsa obijcio, redde rationem, quantum patrimonij acceperis, quid tibi litibus accreuerit, quâ ex pecunia domum paraueris, Tusculanum & Pompeianum infinito sumptu ædificaueris: aut si retices, cui potest esse dubium, quin opulentiam istam ex sanguine, & misericordiâ paraueris? Sallust. seu qui quis alius, Inuestigatio in Cic.

Imperatores aliquot Romani adhuc Ethnici huius notæ. Sat constat Cn. Lentulum, Augurem, cui census maximus fuerit, metu & angore ad fastidium vitæ ab Tiberio Cæsare allum, & vt ne quo nisi ipso hærede moreretur. Suet. in Tiberio cap. 49.

C. Caligula testamenta primipilarium, qui ab initio principatus Tiberij, neque illum, neque se hæredem reliquissent, vt ingratia rescidit. Sueton. in Caligula c. 3.

Nerone Neronior nemo, qui instituit vt ingraturum in principem testamenta ad fiscum pertinerent: qui nulli delegauit officium, vt non adyceret, scis quid mibi opus sit, & hoc agamus, ne quis quisquam habeat. Sueton. in Nerone c. 32.

Cassius Longinus, Seneca, & Plautus Lateranus, propter diuicias à Nerone ad necem compulsi sunt.

Iuue. sat. 10. Temporibus diris igitur, iussuque Neronei Longinum, & magnos Seneca prædiuitis hortos Clausit, & egregias Lateranorum obsidet ades. Se.

Seneca sic de se, & suis opibus, ad Neronem, sed coactus opinor. *Quo modo in militia aut via fessus, ad nimiculum orarem: it à in hoc itinere vita senex, & levissimis quoque curis impar, cùm opes meas ultrà sustinerem non possum, præsidium peto. Iube eas per procuratores tuos administrari, in tuam fortunam recipe. Nec me in paupertatem ipse detrudam, sed traditis quorum fulgori perstringor, quod temporis, hortorum aut villarum cura seponitur, in animum reuocabo, &c.*

Offerebat scilicet homo sapiens (ut aiunt) pellem propelle, & cuncta quæ habebat, dabant pro anima sua, certe satis magnum vitæ redimendæ pretium, nisi cùm Nerone res fuisset, qui, et si sic Senecæ suo respondisset: *Non tua moderatio, si reddideris pecuniam; nec quies, si reliqueris principem; sed mea avaritia, me & crudelitatis metus in ore omnium versabitur &c.* comple-  
xumque & oscula adiecisset, tamen tandem eum mori iussit, amore Villarum & spoliorum. *Ex Cornel. Tacito lib. 14. Annal. cap. 15.*

Nil Fibro aut Caistori huic tūm profuit sc̄e sic eu-  
rāsse,

\* *3. Deceptione sui.* Cùm enim Villæ emtione, que-  
reret in alios dominatum, incidit in miserrimam eo-  
rundem seruitutem.

Insinuat ipse illam suam iam tūm seruitutem, cùm  
ait; *Et neceſſe habeo exire &c.* non autem; volo, aut li-  
bet exire, sed oportet, neceſſe habeo &c.

O quoties, necessariò exit, aut prodit, ac s̄pē extra  
se, quisquis imperat.

Seruire multis, multis imperantem necesse est,  
vel seruitute benevolentiae & libera, vel seruitute  
dissimulationis & simulationis, vel seruitute ab of-  
ficio imperata.

Dormiente grege, pastori vigilandum; pabulante  
aut ruminante, standum.

*Imperatorem stantem oportet mori, aiebat ille.*

*Antigonus Macedoniæ Rex Regnum vocabat splenditam seruitutem.*

Cicero ipse iam factus Imp. ita de se aiebat. *Accedit molestia hæc pompa lictorum meorū, noménque Imperij quo appellor, eo si onere carerem, quanuis partim Italia latebris contentus essem.* Cicērō, lib. 2, epp. fam. ep. 16.

*Qui maior est vestrum, sit vester minister.*

*Operarum operosissima opera regia; non in Curiā incuria aut otium quærendum est.*

Diogenes Cynicus, cum forte adesseret, quo tempore Alexander epistolam miserat ad Antipatrum, per nescio quem Athliam nomine; Cynico suo more quidem, sed certè verissimè, & elegantissimè dixit; *Athlius ab Athlio, per Athliam ad Athlium, quasi dicat, Seruus & Miser, miseri filius, ad Misericordiam, per misericordiam.* Nam Athlius Græcis, sonat Latinis miserum, & cum multis laboribus colluctantem, vnde & athleta non men. Diogenes Laert. lib. 6.

Et præterea in miserijs regijs hoc miserrimum, quod miseri cùm sint, non sunt cuiquam miserabiles, immo & foelices creduntur, salutantur, ut Crassus, diues, etiā in paupertate.

Huc spectauit Rex ille (Antigonus, ni fallor) quem ferunt traditum sibi diadema, priusquam capitum imponebat, retentum diu considerasse, ac tandem ita exclamasse: *O nobile magis, quam felicem pannum, quem si quis penitus cognoscat, quam multis sollicitudinibus & periculis, & miserijs (in quibus etiā seruitutem multam & multorum numera) sit refertus; ne humili quidem iacentem tollere vellet.* Valer. Max. lib. 7. c. 3. Stob. serm. 47.

Forsitan & quiuis Pont. Max. adspectat, cum Servum seruorum Dei se scribit.

L. Cras.

L. Crassi clari, ac nobilis viri vox fuit : *Eripite nos ex seruitute : Nolite finere nos cuiquam seruire, nisi vobis vniuersis, quibus & possimus, & debemus.*

Vide Paradoxon 5. Cic.

Est regnum Seruitus, & quidem magnæ & intra-stabilissimæ beluæ, quia tam multorum capitum.

Vide Sueton. in Tiberio c. 24.

Sub corona sunt serui? sub corona sunt & Reges? Capiuntur serui ab ripiuntur, & coguntur seruire? itidem boni Reges, regnare; boni Episcopi, praefesse.

Tiberius Cæsar tandem quasi coactus, & querens misericordiam & onerosam iniungi sibi seruitutem, recepit imperium, nec tamen aliter, quam ut depositurum se quan-doque spem faceret. Sueton. in Tiberio c. 24.

Saul ipse absconditus domi, inde ad regnum a populo abruptus est. 1. Reg. 10.

Antu potentem censes, qui nos terret? ipse plus metuit, qui, ut potens esse videatur, in seruientium manu situs est, in satellitum suorum & quasi tutorum potestate.

Seruit subditis, seruit collegæ si habet: Qui enim collegam habent, habent & Dominum, aiunt vulgo nostrates.

Omne, sub regno grauior e regnum est. Senec. Trag.

Addit & seruitutem vitiorum, quibus ferè pluri-mis maxima imperia seruiunt, hic tantò seruiliora, quanto liberiora, & sine Ephoro ullo, aut Censore, non qui corrigat acriter aut corripiat (quotus enim quisque hoc vel ausit vel possit?) sed vel qui leniter submoneat, aut timidè insurget.

Magnis enim fastigijs, rerum alioquin omnium diuitibus, unum hoc deest, qui eis dicat verita-tem.

\* 4. Neglectus sui. Dùm enim publica curat; priuata, & sua, & se negligit. Necesse habeo exire, inquit, id est, meipso neglecto, aliorum solicitorum esse.

Plautus in Asinaria: Qui fundum alienum art, suum incultum deserit, ac lapidosum finit.

Festucam ex oculo fratris ejiciens, trahem in suo non videt.

Morbis aliorum prouident, qui suis non cauent.

Vt alieni matrimonij adpetens, non est sufficiens suo; sic nec alieni negotij, & multorum curator, sufficit curæ sui, vt plurimum.

Alteri militans & in alieno solo, ad sua reuertent ferè viuit senex & pauper.

Prou. Iuuenis miles, senex mendicus.

Tantumne est ab re tua otij tibi.

Aliena vt cures, eaque nihil quæ ad te admittentur. in Heaut. Act. 1. Scen. 1.

Prou. 17. Oculi stultorum in finibus terra.

Visus potentia ad duo simul inspectanda non sufficit. Humanum non est, duobus simul locis esse.

Notus nimirum omnibus, Ignotus moritur sibi, ad Senec. Trag.

Pluribus intenti minor est ad singula virtus.

Huc spectat cuimsdam Similis Prætorianorum ductus factum.

Dicamus verbis ipsius Dionis Hist. lib. 69. in Hadriano. Similis verò ( nota lector, nomen Similis proprium hic esse ) quum eos et ate & honore anteiret; nemini ( vt ega quidem arbitror ) moribus & virtute secundus erat: id que licet ex re per exigua cognoscere. Nam quum Centurio esset, eumque Trajanus a te Præfectos intrò aduocauisset; Turpe est ( inquit ) tibi Cæsar, cum Centurione, remotis Præfectis, dissem

ter. Is deinde Praefecturam Prætorianorum inuitus obiit, quā postea se ipse abdicavit, ac vix tandem dimis-  
sus, ruri reliquos septem vitæ annos conquieuit, suo-  
que sepulchro moriens inscribi iussit haec verba : HIC  
IACET SIMILIS, CVIVS d AETAS MVL-  
TORVM ANNORVM FVIT, IPSE SEPTEM  
DVMTAXAT ANNOS VIXIT.

(d LXXVI annorum.)

Vbi Leunclanius notā 266. B. I. Quod legitur heic  
in epitaphio Similius, Εἰς μὲν ἔτη τέσσαρας δὲ ἔτη ἑπτά  
tradūctum his à Blanco verbis; Cuius ætas multorum  
annorum fuit, ipse septem dumtaxat annos vixit: om-  
nino virtutum scriptura quoddam habet, quod in voce τέσσα-  
ratat. Memini de hoc monitum aliquando me Conſtā-  
tinopoli, quin fortè Cedrinum in manibus habere-  
mus, a Theodosio Zigomala doctissimo Græcorum omni-  
um, quos equidem cognoui, & optimo viro notario Patri-  
archico. Nam reperisse confirmabat antiquis in libris e-  
ius, quem dixi, Cedrini, verum hanc scripturam.

Σιμίλιος εἰς ταῦθα κεῖται, Εἰς μὲν ἔτη τέσσαρας δὲ ἔτη ἑπτά,  
hoc est;

HIC IACET SIMILIS, CVIVS AETAS LXXVI.  
ANNORVM FVIT, IPSE SEPTEM DVMTAXAT  
ANNOS VIXIT. Recitat autem ipsa Dionis verba Ce-  
drinus, quæ post Cedrinum Zonaras quoque suā in histo-  
riarepetiuit. Et hoc modo licet hoc viuum tribus simili-  
ex historiis tollas; Hæc Leunclanius.

Ouidianum illud, Bene qui latuit, bene vixit, huc  
referri possit.

Vnde tibi quantumque potes prælustria vita. Ouid.  
lib. Trist.

Quid suauius, quam domi manere? & quid uti-  
liss?

Quid

In primis cūm à Domino suo habitatur, ornatur;  
 & quod multum est, vel solum habitata, etiam nullo addito ornatū, non tam facile situ labascit, mūcescit, ac veterascit.

In se descendendi, in se regrediendi, aut ad se redeundi vix tandem habet potestatem quisquis imperat, vel non permittentibus ipsis, quos bene rexit; vel non sinente benevolentia ipsa, qua maxima in bonos subditos adficitur; vel regnandi suauitate prægustatā adhuc alliciente; vel Conscientia tamdiu negle&tæ, & in chaos horrendum conuerit, horrore.

Suum Augeæ stabulum capax boum ter mille, triginta totos annos irreputatum intuens, necle Herculem reputans, nec iam amplius habens Alpheum fluminiū, quem transmittat ad eluendum, id est, a prismo fluminis, qui semel tantum confertur, deinceps iterum vti non valens, illud ingredi reformidat; foris hæret, dicens: *qui in fôrdibus est, fôrdefcat adhuc.*

Vel emendandorum & repurgandorum omnium, vel veniæ quadā quasi desperatione, in luto suo eodē hæret, aut profundius infigitur, & secū sic loquitur. *Maior est iniqutus mea, quā vt veniam merear.* Gen. 4.

*Sic vt virtutem videant, intabescant quē relicta. Pcl. sat. 3.*

Adeò totus fuit, vbi vehementer amauit, vt numquā domi fuerit, nisi fortè post longa interualla, & viuus horæ viator & hospes; adeò exiit, emigravitque extra se, & è domo animæ suæ, magisq; ibi fuit vbi amauit, totoq; animo peregrinatus est, vt ciuis factus sit externi soli, ne de reditu in se ac sua cogitet; & fortè visitat Conscientiæ suæ domū, quasi certus redundi atque in posterum incolendi, mox retrò pedem refert, territus horrifico visu nostrorum, illic per absentiam

sentiam eius tām longam aut innatorum, aut aliundē  
ingressorum, aut illatorū, & repulsus tetrī, quasi Ca-  
marinæ nescio cuius Siculæ, fœtoribus, pestis conta-  
gia exhalantibus.

Retrocedit oxyssimè instar viatoris, cui ex impro-  
viso in syluā occurrit

*coluber mala grama pastus.*

Pallet, vt i nudis presit qui calcibus anguem,  
Aut Lugdunensem dicturus Rhetor ad aram. Iuuem.  
sat.6.

Dionysio Tyranno ne integrum quidem erat, vt ad iu-  
stitiam remigraret, ciuibusq̄ libertatem, & iura redi-  
deret: ijs enim sese adolescens imprudēta et ate irretierat  
erratis, eaquæ commiserat, vt saluus esse non posset, si sa-  
nus esse cœpisset, ait. Cic. lib. 5. Tusc. qq.

Et tamen eiusmodi stultorum infinitus est numerus,  
id est, curam magis aliorum quam sui affectantium,  
& imperia ambientium, se negligentium. Vnus quæ-  
ritur in electionibus, & eligi velint infiniti.

Ecquis est militiæ vel tyro vnius d̄ei, qui non iam  
iām aquilifer aut Dux creari, si possit, velit?

Quod plures sint qui pareant quām qui imperent,  
domi, militiæ, & foci, necessitate fit non voluntate,  
salem plurimorum. Sceptra, & insulas omnes som-  
niamus.

Nemo non libenter imperet, nemo non sibi vide-  
tor habere faciem dignam imperio; aut caput, quod mi-  
trans gestare possit.

Non sum adeo informis, nuper me in litore vidi. Virg.

Buc.

Ceterum, vt stulte egerit iste, quum hanc extra se  
egrediēdi necessitatem, etiām pretio, accersiuit (Ne-  
cessitudo habeo exire:) tamen non parum sapit, quod hūc se  
teneri, huc ex officio vrgeri, libens agnoscit.

Omnes enim honoribus aucti, ferē satis intelli-  
gimus

gimus honores nostros atq; imperij dignitatem; omis  
verò , seu officium non item.

*Ingrediendi egrediendi quæ ministerium, Regum et  
proprium, ut sæpè legas in scriptura, cùm de Regibus  
agitatur.*

Oues suas Pastor bonus noscit , & antea eva-  
dit &c.

Näm sanè quidam ità villas habent , vt eas num-  
quam , aut perrarò visitent , numquam aut raro , loco  
exeant , velut adfixi Solio , Otio , Voluptatibus ; vel  
Incuriosi Reip. velut pauidi , periculorum , imò pli-  
niæ & umbræ sive metuentes .

Ità sunt Pastores , vt fixa in hortis autiū illa ten-  
cumenta , aut Termini & limites lapidei , in finibus  
agrorum constituti .

*O Pastor & idolum , derelinquens gregem . Zech. ii.  
Vide locum & commentatores . Est pulcher lo-  
cus .*

Ita immoti manent , vt Terminus in ipso Romæ  
Capitolio . Ut enim Terminus , fabulofus ille Ethni-  
corum Deus , cum Capitolium ipsi Ioui erigeretur ,  
Dijs cæteris cedentibus , ne Ioui quidem cedere vo-  
luit , sed in æde , vt olim steterat , restitit , sic nec illi  
neque amoris , neque honoris Dei studio , pedem hac  
illucue mouerint . *Vide Ouid. 2. Fast.*

Oculis semper alienis videre , & alienis auribus  
audire , periculum est ipsis , et si subditis multò ma-  
gis . Näm delatores sæpè faciunt *candida de nigri &  
de carentibus atra* , quo iure , quaq; iniuria .

Notum lippis & tonsoribus , quam nigras animas  
quidam habere passim crediti sunt , boni tamen viri  
quod auditæ & credita , non visa sunt , quæ de illis spu-  
fere sui hostes , nimis affectatè his officiis , hisma-  
iurij .

*Illud ( Neceſſe habeo exire , & illam videre ) opere  
exercit.*

exercere oportet eos, ac s<sup>e</sup>p<sup>e</sup>s s<sup>e</sup>pius quidem, & qui hominibus, & qui operibus præsunt.

*Oculus Domini impinguat equum, agrum, &c.*

Ipse Deus, qui tamē vbique est, & videt omnia pri-  
mus, tamen ædificantibus turrim Babel perduelli-  
bus, descendit, ut videret ciuitatem & turrim, quam  
ædificabant filii Adam. Genes. II.

*Et filius Dei propter nos, & propter nostram salutem  
descendit de cœlis.*

Neque satis Ioui olim fuit, relatu audisse bar-  
bara conuinia mensæ Lycaoniæ, multaque alia, de  
humanî generis impietate, non omnia credidit, sed  
ipsus, occultatâ tantisper diuinâ Maiestate ( ut  
poeta fabulantur ) relicto cœlo, & os humeros-  
que homini similis factus, in terram descendit, ali-  
quod regiones peragravit, tandemque tub noctem  
ad Lycaonis ipsius Arcadium Regis regiam venit, o-  
culis ipse suis rem totam cognitus, *venit, vidit,*  
*vicit hominis feritatem digna castigatione.*

*Medici quique optimi, post urinarum inspectionem,  
etiam optant agrorum conspectum, ut certius ac tutius  
opitulentur.*

Adeò Dominorum præsentia, & oculus, est reg-  
nis necessarius, ut idcirco in regiorum sceptrorum  
summitate oculus adpingatur.

Qui aures longas, longas potentum manus lau-  
dant, ijdem ijsdem optant oculos obtusiores, qui res  
non nisi propriis admotas cognoscant.

Et Pastores animarum summi, Episcopi idcirco  
dicti, quasi dicas superintendentes, & ex alto o-  
mnem gregem speculantes.

Oculis, & ipsorum ictu, ac nutu solo, præ-  
sens Iupiter totum concutit orbem.

*Ex Suetonio in Cæs. c. 37. Notum est famosum illud*

C. Cæ-

**C.** Cæsar is inter pompe Triumphi Pontici fercula:  
Veni, vidi, vici: Non vicisset credo, tūm Romanus mil-  
les, nisi Cæsar ipsus venisset, vidisset.

Nec Carolus V. æternæ memoriae Imperator tām  
facile Gandenses turbas pacauisset, nisi ipse, exulti-  
mis Hispaniarum finibus, per Gallias, illuc venisset.  
*Necesse habuit exire, & videre villam, & ipsum vidis-  
se profuit.*

Obuli tām ad terrorem sūnt duces, quām ad amo-  
rem.

*Omnis vis Leoni constat in oculis.* Plin.lib.8.c.16.  
Optimè ergò iste, vel in insipientia sua summa-  
*Necesse habeo exire, & videre eam.* Eundum reden-  
dumque frequenter ad gregem.

Proceres crebrò oportet adtendere, quorūm cor-  
ques aureas circum colla gerant, vt scilicet Reipub.  
& subditorum bono se sciant esse debere deuincti-  
mos.

Et cūr auro benē gemmato capita Regum co-  
ronantur? cūr nisi vt Heroicis virtutibus coronen-  
tur, & omnibus antecellitā, vt gemmarum instar pre-  
fulgeant?

Cur geritur sceptrum? nisi, vt suos illo, tanquam  
virga, cūm opus est, castigent, cūm opus est, defen-  
dant, & quasi baculo fulciant, lupum abigant?

*Virga directionis, virga regni tui.* psal.44.

Cūr purpurantur? nisi, vt eximiā in subditos cha-  
ritate ardeat? nisi, vt si opus sit, pro suis, suo sanguine  
rubricetur? *Bonus pastor animam suam dat proop-  
bus suis.* Ioan.10.

Habent, habent vestes, & omnium Procerum ge-  
stamina, linguam suam si intelligentur, vti & noſtræ  
Religiosorum coronæ, zonæ, chordæ, cuculli &c. q[uo]d  
bus nisi vtrique respondeamus, nil nisi tragico cultu,  
risum iocumq[ue]; nasutulis interpretibus affatim mo-  
uebimus.

Romani tollent Equites Peditesque cachimum. Horat. in Arte.

*In me psallebant, qui bibebant vinum. psal.*

*Factus sum illis in parabolam. psal.*

\* 5. Ordinis peruersione. Commisit foedium hysteron proteron, Videre enim; & inspicere villam tūm demum voluit, cūm empta esset, & sera futura esset pœnitentia.

Ante emtionem diu multumque inspectam oportuit.

Nām quis vel equum emturus, non ante illum inspectat, & depositis phaleris atque ephippijs, si possit, nudum, ne quid occultetur?

Quis vina empturiens, non prægustat?

Quis vxorem ducit nunquam anteà visam, vel ipsam, vel faltem in tabella pictam, ut nūnc Ludouicus XIII. Gallorum Rex, Regis Hispaniæ filiam, futuram vxorem?

Tutius è tabulâ pictos ediscere vultus, quām ex rabula laudatore Pythio argentario Syracusano hand facile de villa sua, aut hortis, credendum est, nisi cautè videantur. Vide apud Cic. lib. 3. officiorum, lepidam & quæ, ac fraudulentam, seu fabulam, seu historiam de Pythio venditore, & Canio emptore.

Nemo ferè tam friuarius est mercator aut tabernarius, qui non hyperbolē admittat, cūm cultos suos, & conchas venditat.

Laudat vanales, qui vult extrudere, merces. Horat. 2. ep.

Et vulgari proverbio iactatur, vnicum à condito orbe mercatorem fuisse, qui merces suas vituperarit, sed actum idcirco in crucem fuisse.

Ergo Mulier illa fortis, à Salomone laudata, hoc Villæ emptore prudentior, quæ scilicet considerauit grum, & emit illum. proverb. vlt.

(Consideravit primum, deinde enit.

Idcirco prudentissimè ab Ecclesiâ, certum, inter sponsalia & nuptias, tempus constitutum.

Item ab eodem, in quauis probata Religione annus probationis integer cuique decretus, duo etiam alicubi: alicubi, unus in veste dumtaxat clericali, & alter in veste monastica, antè votorum emissionem.

Si ante emptionem villam studiosè vidisset, numquam emisset fortassis; ac ne forsitan quidem vel obtrusam, aut gratis datam accepisset.

Deterruissent *1. Cura, & pericula ab illâ;*  
*eu, dubio pro-* *2. Præcipitorum horror;*  
*cùl, partim . 3. Vsus breuis.*

\* *j. Cura, & pericula &c.* quorum non est numerus, vnde nec ferè facilior exitus, quam ex Cretæ labyrintho.

Corona ac mitra aurea quidē illa est, quæ foris est sed quæ intus est, & mirè cerebrum lancingat, tota spinea est, ut illa Christi in Passione.

Purpura quidem foris ridet blandissimè, sed ciliatum intus ad cor vsque asperrimè compungit.

Lectulum, in quo Rex aliquis aut Prælatus, securus in vtramque aurem dormire vñquam vel possit, vel audeat, solandis ægris omnibus insomnia laborantibus, venalem optem, aut mutuabilem. Magno emeret, credo, vel Augustus ipse, qui culctrum Equitis Romani multo ære alieno obstridi merit.

*Curarum curia mater.*

A curis dicti Curiones & Curatores.

Damocli cuidam seu Democli seu Dimocli (vt alijs placet) Reges beatissimos opinanti, & neganti quemquam Dionysio beatiorem fuisse.

Dionysius ipse, egregio sanè inuento, demonstavit

trauit, Reges inter multa maximaque pericula semper versari. Nam in aureo lecto sedere iusso, ad mensam lautissimam ( Solis mensam dixisses ) regieque vestito, iussit supra caput districtum gladium e lacunari tenui seta equinâ suspensum ostentari, imminentem illius horarii beati cervicibus. Itaque tunc nec administratores mesae formosissimos adspiciebat Damocles, nec plenum artis argentum, quod abacos onerabat, nec manum porrigebat ad mensam, ipse quoque coronæ roseæ ex capite trepidantis defluebant, & odores suauissimi, qui illi incendebantur ad voluptatem, iam foetebant: denique exoravit tyrannum, ut abire liceret, quod iam beatus nollet esse. Cic. lib. 5. Tusc. qq.

*Et magis auratis pendens laquearibus ensis  
Purpureas subter cervices terruit, quam fauces esca  
delectauit. Pers. sat. 3.*

Terror scilicet semper aliquis dominatoribus impenderet, vel ab hoste, vel a ciue.

Prodere vel latum pedem vix audent; adeò, qui multos saepè iniuitis carceribus claudunt, seipso quodam quasi carcere perenni domi coguntur includere, rarissime prodire &c.

Qui multos terrent, à multis timent.

*Qui terret, idem & trepidat. Metus in autorem, ut  
iacti lapidis ictus, reddit, Seneca.*

Multis terribilis cauento multos.

*Quod ciuibis tenere se iniuitis sciunt nonnulli,  
Strictus tuetur ensis. Senec. in Herc. Furente.  
Act. 2.*

*Non est diuturna possessio ( addo nec secura ) in qua  
gladio inducimur, aiebat Alexander Magnus. Q. Curtius  
lib. 8.*

Netonforibus quidem collum & mentum quidem audent committere; filiae regiae virgines, an-

S z cillari

tillari artificio, ut tonsiculae, rondere docentur & radere barbas patrum & capillos.

Iisdem quoque iam grandiusculis ferrum tollit, nouacula prohibetur; iuglandium putaminibus carentibus adūrere paternos pilos iubentur

Vxorum ipsarum sinus excutitur, ne fortasse tellum, sicam, & mortem pro amore ad lectum conferant.

*Pallet & infelix, quod proxima nesciat vxor.* Perf. sat. 3.

Cum in communibus suggestis consistere non contum fecerunt, è turribus altis concionantur, quoniam de Dionysio narrantur. Cic. lib. 5. Tus. qq.

Vox Thyestis: *Dum excelsus steti,*

*Numquam pauere destiti, at que ipsum mei*

*Ferrum timere lateris, id est, vel luum ipsius gladii,*  
*vel potius corporis sui custodes.* Senecam Thyest. Act. 3.

Ne buccellam quidem ori ad inouere tutum, non vinum sine prægustatore libare. Venenum in aurum bitur, expertus loquor, ait Thyestes ibid.

Vix Eucharistiam sumere, vix literas recebras legere. His enim quoque artibus Magnates intoxican-  
tur. Dom. Launæus in paruo suo theatro lib. 3. mil. pag. 143.

Nero taciturnitatem pudoremque quorundam pro-  
tristitia ac malignitate arguebat, suspectosque sibi dice-  
bat. Sueton in Nerone cap. 23.

Iulio Cæsari, pallidi & macilenti, Cæsarius &  
Brutus fuere formidini. Plutar. in Cæsare.

Ad generum Cereris, sine cæde & sanguine pauci  
Descendunt Reges, & sicc a morte tyranni: sunt verba  
ipsi terribiles.

*Et: Quem quisque odit, perisse expetit.*

Norunt, multos ē solio in carcerem tractos, ut contrā quosdam (in quibus fuit Ioseph, & Matthias ipse Corvinus Ioh. Hunniadis filius) ē carcere ad solium ac regnum.

Norunt, ingenium plebis esse varium & mobile, hodiē ramos & vestes Christo substernentis, plaudentis, & letum Hosanna iterumq; iterumq; illi ad clamantis, ac post triduum in crucem eumdem agen-  
tis, vel poscentis per summam iniuriam.

*Hic pietatis honor.*

Norunt, etiam amicos ac consanguineos sēpē mag-  
nī fastigiis inuidisse amicis, fratribus; aliquandō parentibus liberos, liberis parentes, regnum & vitam eripuisse: quæ scelerā non intrant casam. Senec. in Thyeste Act. 3.

Quid loquar maiores illos metus, à Iudicio illo  
Dei vltimo? ab illis verbis, *Potentes potenter tormenta patientur?*

O pretiosum pannum quidem diadematis, sed  
quanta pericula prætegentem.

Qui te viderit, & pernoverit; ne humili quidem  
iacentem tollat (vt ille superius aiebat.) *Tollat te,*  
qui non nouit.

*Qui viderit te, resiliet à te.*

Sed quid? miseri, visitamus demum & lustramus  
villam, cum emimus; id est, cùm iam in caput diade-  
ma aut infulam sustulimus, & quasi adfiximus, tū se-  
rius honorum onera, curas, & pericula considera-  
mus, vti villam suam iam erutam Corydon iste no-  
ster.

In hoc & ego morbo aliquandō.

Ita scilicet Serò sapimus Phryges ferè omnes.

Hæc sēpē ruminare, animulæ religiosæ, quæ adhuc  
subestis, cum ne præsidendi aliquandō munus etiā  
oblatum temerè aut audiuiscule suscipiatis, multō

verò minus umquam ambiatis; tūm ut Abbatissæ, & earum, quæ vobis præesse in Domino coguntur, discatis misereri. Expertus loquor.

\* ij. Præcipitorum horror, quale est, ex fortunato fieri infelicē; ex Ordinum ductore, gregarium, & parere, nonnunquā perperā imperitantibus, quibus alioqui ipse optimè humanissimeq; imperaris. Quoties Sontibus parent boni: Sen. in Herc. furente, Act. 2.

In omni aduersitate fortunæ, infelicitatum genuis fortunij est, fuisse fælicem. Boetius libro secundo de Consol. prosa 4.

Verborum de præteritis miserrimum, fuisse im beatioribus.

Fuimus Troes; fuit Ilium, & ingens  
Gloria Teucrorum; feras omnia Jupiter Argos  
Transtulit. Virg. 2. Aeneid.

Et: Nos quoque florimus, sed flos fuit ille caducus,

Nostraquæ de stipula flamma, brevisque fuit.  
Quid

Quo status altior, hoc casus grauior. Diuus Gregorius.

Altè virtus animosa cadit. Senec. in Hercule Furante Act. 1.

Adde; Miserias acerbiores fieri, suauium pregunzione, & adiuetudine.

Dedicit animis serò, quod didicit diu. Senec.

Mollibus adiuetus, loricam ferre recusat. Mactuanus

\* Ne dicam, in quām lubrico positi sint quicunque regnant, ut diu stare ægrè possint absque lapi, aut crūmine, ægerimè respiscere, nemine nedum corrigere, sed ne quidem corripere, imò ne erronam quidem vel subindicare audēte, imò ne lege quidem ipsa, aut Legislatore, si reuiniscat.

Cui plurimum licet, plurimum fibet.

*Regnōque fulti, plura quām fas est, petunt:  
Quod non potest, vult posse, qui nūnū potest.* Senec.  
in Hippol. Act. 1.

*Deteriores omnes sumus licentia.* Terent. in Heaut.  
Act. 3. sc. 1.

*Nemo ferē sic se admonet: Minimum decet libere,  
cui plurimum licet.* Senec.

Sibi potentes occidunt, & succentores multos ha-  
bent: *Quod Ioui, hoc Regi licet.* Seneca in Herc. furen-  
te Act. 2.

*Quod Principi placuit, lex est.*

*Slibet, licet,* aiebat suo Neroni impia mater A-  
grippina.

*Ius in armis.* Vel : *Lex iustitiae fortitudo nostra.*  
Vel: *Arma tenenti omnia dat, qui iusta negat.* Luca-  
nus.

Illis, dum de malis suis consuīint, itā ferē respon-  
detur, ut olim Cambysī apud Herodotum.

Quum enim ante Cambysēm, Persæ sorores in  
matrimonium accipere nequaquām consuēssent, ip-  
seque Rex Persarum, vnius sororum amore captus,  
ex iisdem omnīnd parentibus natæ, cupidusque de-  
indēducendi illam vxorem, quum prōpter rei infor-  
lentiam laboraret efficere; accersit eos, qui regij Iu-  
dices nominantur. Fiunt autem delecti à Persis viri,  
suntque perpetui, nisi delicti alicuius comperti fue-  
rint. Iti apud Persas ius dicunt, & legē in patriarchal  
fuit interpretes, & ad eos omnia referuntur. Hos  
Cambyses percontatur: nūm qua lex sit, que sinat vo-  
lente in cūm sorore contrahere matrimonium? Iudices  
respondentes, negant se ullam inuenire legem, quæ fina  
fratri nubere sororem; quandam rāmen inuenire, quā  
licet Regi Persarum facere quicquid libeat. Ita neque  
legē abrogarunt, metu Cambysis; & ne legem tuētes,  
ipsi perirēt, alia inuenierūt adiutricē eius, qui sororē

in matrimonium ducere velle. Tunc itaque Camby-  
ses sororem illam accepit vxorem , aliquatoque post  
& alteram. *Kerodot.lib. 3.in Thalia.*

*Eò vergunt leges , quò volunt Reges , ait Hispanus  
vulgato proverbio ( Alla van leyes , do quieren Key-  
es.)*

Et iam si Dijs placet, ritè obedientes , & ingenij  
tractabilis à quibusdam illi censentur , qui sententi-  
am rogati, non spectant , quò Dei aut Patriæ lex, quò  
Veritas, quò Conscientia vergant & vrgeant, sed quid  
velint qui sunt in imperio, aut ignari , aut oblixi, aut  
incurij illius oraculi: obedire Deo magis oportet, quam  
hominibus. *A&t. 5.*

Hinc illæ lacrijmæ: Nàm ità ruunt Reges, Prelati  
&c. in vitia præcipites , non iam solum adpetui ip-  
pos trahente, sed Consultoribus quoque impellenti-  
bus, ac volutabellum adijcentibus potius, quam infi-  
flaminantibus. Ab his Rex, si non satis furit, instiga-  
tur.

Oleum camino additur.

\* *Adde, opes ingentes adesse , quibus, quasi alis, ad  
omnia mala conuolant.*

\* *Item; vix opes magnas, et si alienas, & sacras, quia  
sunt Reip. à quoquam tam religiosè tanta que  
tractari , vt non earum abusu, aliquando peccet.  
Difficile, eas manus non pinguescere, quæ vasa ole-  
ria sæpè adtrectant.*

After, affer semper ab ijs inclamari? nunquam aut  
rarò audiri profer, profer publico bono, quod princi-  
to substractum est.

Paucos posse illud Pauli verè usurpare: *Argentum  
& aurum, aut vestem nullius concupui , sicut ipsi sciri  
&c. A&t. 20.*

Aut illud Samuelis , ad populum Israelitarum,  
quem tamdiu rexerat : *Ecce præsto sum. Loquimini de  
me coram*

me coram Domino, & coram Christo eius, utrum bouem  
cuiusquam tulerim, aut asinum: si quæpiam calumniatus  
sum, si obpresi aliquem, si de manu cuiusquam munus ac-  
cepi: & contemnam illud hodiè, restituamque vobis:  
Pauciores, quibus sic respondeatur a populo, ut tūm  
Samueli: Non es calumniatus nos, neque obpressisti, ne-  
que tulisti de manu alicuius quippiam. i. Reg. 12.

Repetundarum multos esse reos.

\* Denique; videri semper, & reuera maiora esse,  
crimina potentiorum.

*Index futurus, sanguine humano abstine,  
Quicumque regnas. SCELERA TAXANTVR MO-  
DOMAIORE NOSTRA, rectè ait Amphytrion apud  
Senec. in Herc. furente Act. 3.*

*Ad grauat certè Ordo, Locus, peccata, Scientia, Tem-  
pus. Cic.*

Vnde & in vet. lege, quale sacrificium siebat pro  
peccato totius populi, tale siebat pro peccato solius  
Sacerdotis.

\* iii. Vsus breuis. Breues dies hominis sunt. Job.

Maxime verò omnis potentatus vita breuis. Eccle-  
sias. 10.

Iob. 20. Gaudium hypocrita ad instar puneti.

\* 6. Vanitate. Nam fructus rei tanti emptæ non a-  
lius, quam visio. Necesse habeo videre illam (inquit)  
non lætari in ea, non eā frui.

Visio sola totum precium precij, & operæ positæ  
in villæ acquisitione.

Eccles. 5. Quid prodest possessori, nisi quod cernat diuitias  
ecclis suis?

Vrbium, Arcium, Villarum, Balnearum &c. adspe-  
ctum alternum dumtaxat habent dominatores.

Videndi studio, peregrinationes suas nunc huc,  
nunc illuc instituunt.

At oculorum illa voluptas , Deus bone, quam et  
& leuis, & breuis.

Sed nec satiatur oculus visu, vt nec aures audi-  
tu.

Et eadem videre, subditis ac mancipiis communi-  
est, imò & hostibus quoque ipsis per frequenter, ac  
gratis quidem.

Et videt eadem subditus maiore cum voluptate,  
quam Dominus ipse qui emit , vt qui susque de que  
habeat sarta tecta Villarum & Arcium, nihil ruina-  
rum aut minarum solicitus.

Et si videre villas, arces, vrbes, palatia pulcra, tati-  
est; ecquod palatum hoc mundo amplius, pulcra  
Et cui illud quotidiè spectare non licet, quantum fa-  
cis?

Nihilominus, malum; ea est hominum dementia,  
vt villa vnius gratia, eiusque visendæ studio, ad Dei  
Opt. Max. coenam omnium lètissimam ac lautissi-  
mam, iterumq; iterumque inuitati, venire recusent.  
Rogo te( inquit iste ) habe me excusatum, &c. Deroga-  
ret scilicet auguste dignitati, seruum venire ad  
Dominum ac Deum suum , iterum inuitan-  
tem.

At Augustus ipse Rom. Imp. nulli ferè ad commi-  
um vocanti negare solitus est.

Et Christus vocatus à Publicanis, item à Pharisæis  
hostibus; & à Simone leproso adiit, & ad seruos Do-  
minus venit. Apud Zacchæum se non inuitatus inni-  
tat. Hodie, ait, oportet me in domo tua manere. Luc. 19.

At coena perparca excipi metuunt, cogique cum  
Augusto simili occasione dicere? Non putabam metu-  
bit am familiarem. Erasmus lib. 4. Apophtheg. 27.

Imò contra, fecit coenam magnam, maiorem mu-  
tò, quam diximus.

Non itur tamen.

Ita scilicet ab Adamo communis omnium parentis  
minime degeneramus, quem vel pomum agreste for-  
tissim, atque acerbū, à Dei sui amore diuertit, & per-  
didit.

Ita Esau similes euadimus, qui ob legumen, & pē-  
nē filius, primogenita nostra vendimus.

Malumus gancones ganeas cum ganeonibus cole-  
re, quam non dico ciuis honesti domum, sed Dei Al-  
tissimi adire palatium, Ecclesiam, cœlum.

Sic Thurinus nescio quis sumi venditor, aut qui gē-  
mas vitreas pro veris venditet, emptores potius  
inuenierit, quam quiuis mercator probatissimus.

Sic Epicuri horti frequenti auditorio complen-  
tur, Platonis autem Academia desertum mera soli-  
tudo.

Via Sion, & Ecclesiarum, lugent, èo quod non  
sit quiveniat ad solemnitatem, ad Concionem &c. viæ  
vero ganearum, sphæristeriorū, spectaculorum &c.  
feruent itantum frequentia.

Fili⁹ hominum, usquequo graui corde? ut quid diligit⁹  
vanitatem, & querit⁹ mendacium? psal. 4.

Vt quid umbras pro corporibus captatis? res tem-  
porarias pro æternis? creaturas, contempt⁹ creatore,  
amatis, colitis, adoratis? Cur via tam diffici⁹ ruitis  
in Infernum, lactea ad cœlum, via sic contempta  
&c.

Vos vero terque quaterque beatæ, (ò sanctæ ani-  
mulæ, & sponsæ Christi) quæ non modò non villas,  
& dominia noua vobis emere, & grandescere nomi-  
nibus opibusque affectastis, sed etiam iam vel emptas  
laboreque partas, aut à maioribus relictas, sponte  
pro Christo abdicatis, ne ab hac Coena abessetis,  
neque Coniuatori tanto Christo Iesu nuntium re-  
mitteretis.

Beatae

Beatae vos, quæ tam viriliter huc intrando, spon-  
teque vos repagulis istis includendo, ostenditis, vo-  
bis nihil uecessere esse exire, & videre vastam huius  
mundi villam.

Vidisse vos iam ad naufragium usque ingressu ipso o-  
stendistis; imo etiam nigrum graue vobis esse ad videndum. Sap.

Clathris ac muris istis includi voluistis, ne ex-  
ire: ne illam videre cogeremini vel incursantem.

Pascere mentem Cœli spectaculo, quam sordida  
huius villæ vilis mundi maluistis.

Cœnare verè cum Christo, quam pietate & fiducia  
mundo, satius iudicastis.

Cœna certe maior meliorque, & æterna reposita  
expectant, si quo pede capistis, eodem(vti spero)  
pergetis cœnis Christi spiritualibus huius vitæ de-  
ctari &c.

### Paleæ, & Micae.

\* Quia superius Seneca fuit Castori, seu fibro  
(Gill. Bieure) comparatus: hic seorsim, procul à can-  
cellis, & castis auribus Virginum, apud quas har-  
cio habebatur, in gratiâ tui, bone lector, visum  
rius dicere, quod de Castore memoratur.

Scriptores ergo plerique aiunt ipsum suos fibri-  
sticulos excindere, abiijcere, & obijcere persequen-  
tibus & insidiatoribus, hoc unum in ipso amantibus,  
ne dum nimis hoc seruat, ab ipsis captus, & hoc & vi-  
tam unam amittat. Vide Plinium lib. 8. c. 30. & Sol-  
num.

Item Dioscoridem, & Matthiolum lib. 2. c. 23.

Bartalsius Poeta Gallus, dum primis doctiss. & gra-  
uissimus, sic de Castore, lib. seu die sexto, Hebdomadis.

dist. I apperçoy le Castor, qui bien aduisè coupe  
Ses genitoires faux, el les iette à la troupe,  
Qui sans peine l'atteint (fortè mel.l'attend) sur le  
Pontique bord,  
Et qui sonhaite plus ce gage, que sa mort. id est , in-  
terprete Gabriele Lermeo nobili Volcâ:  
*Hic quoque castor adeſt, falſum qui mordicūs ingue,*  
*Vt dubiam redimat proiectā pelle ſalutem.*  
Defecat, & turbol inquit, quæ ponē ſequunt a  
Vrget anhelant em, teneat quæ ad littora captum,  
Si ducant tanto potiorem pignore mortem.  
Gesnerus tamen fabulosum putat, quod dicitur de  
illa hibernatione ſui ipſius.  
Si tamen vera eſt illa de Castore communis opi-  
nio, quanta eius animantis prudentia!  
Iactura enim in loco, pro lucro eſt.  
Melius eſt, debilem vel claudum ad vitam ingred̄  
ſc.

DOMI-